



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Caroli-Avgvsti Salesii Tvlliani Doctoris Theologi,
Praepositi, Canonici, Vicarii Generalis Et Officialis
Ecclesiae Gebennensis: De Vita Et Rebus Gestis Servi Dei**

Sales, Charles Auguste de

Lvgdvni, 1634

Liber Nonvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9634

DE VITA ET REBUS
GESTIS, SERVI DEI,

Eximia Sanctitatis Viri FRANCISCI SALESII Episcopi
& Principis Gebennensis.

LIBER NONVS.

TAM instabat tempus Aduentus Dominici, quo coram celeberrimo Delphinatus Senatu ex tot purpuratorum Patrum postulatis concionaturus erat. Venerunt idcirco capturi eum Senatores duo, quorum vnus Saltarellius fuit Vir Sancto charissimus. Igitur Gratianopoli in templo Diui Andreæ Gebennensis Episcopus suo more, id est, piissimè & eruditissimè cõciones habuit, quas ad Quadragintadiale ieiuniũ anni millesimi sexcentissimi decimi septimi continuauit: primam autem Quadragesimalem Concionẽ, feria quarta cinerum sic exorsus est. Ecce me in Cathedra veritatis positum. Omnino dicturus sum eam, nec quidquam in mundo erit impedimento mihi quin eam dixerò. Si verò eam nollem dicere, Deum oro vt adhæreat lingua mea faucibus meis, & medio sub palato exsiccetur, siamque mutus. Quæ verba tam potenter & piè pronunciauit, vt Auditores suos maximè mouerit, & aiebat hæc; quia præcipuè de rebus Controuersis acturus erat, quandoquidem pertinacissimis quampluribus Hereticis Calvinianis scatebat per ea tẽpora Gratianopolis. Primus fuit qui in Ecclesiæ Romanæ caulas reuersus est Claudius Boucardus Virdunensis, quem de sui relapsus miseria, & de resurrectionis causis cum lachrymis differentem audire, & sancto Præsuli & omnibus pia etiam lachrymarum causa fuit. Ego (inquebat) in Lotharingia ex honestis parentibus natus, & in Ecclesia Catholica baptizatus & educatus, nũc verò agens

*Franciscus
Gratianopoli
concionatur.*

*Boucardus
denuò à
Francisco
ab heresi
abductus,
eius abin-
ratio.*

annum

annum ætatis meæ quinquagesimum ingenuè fateer me adolescentiæ tempore Societatem Iesu ingressum fuisse, atque in ea vota simplicia emisisse, non autem professionem solemnem, & absolutis studiis Theologicis integram Philosophiam per triennium docuisse Parisiis, tum sacris etiam Presbyteratus Ordinibus initiatum, ac Theologiam Scholasticam publicè per annum in Academia Mussipontana professum esse; postea verò ad Calvinianorum partes transisse (cuius rei coram Domino nostro Iesu Christo, & sancta eius Ecclesia admodum me pœnitet) non quod de fide Catholica vllatenus dubitarem, sed tantum vt libertatis, quæ est secundum mundum & carnem, potiundæ mihi copia fieret ac facultas. Idcirco autem ad Calvinistas accessi, quia illi primi sese obtulerunt quos compellarem, non autem quod sectam illorum doctrinamve sectæ ac dogmatibus Lutheranorum aut aliorum quorumcunque Sectariorum præferrem, adeò vt cum rem diligenter perpèdo, schismaticus potius quàm hæreticus ex animo fuerim, neque enim religione ductus id feci, vel quod hæresi ex animo adhærerem, sed temporariæ cuiusdam commoditatis causa. Porro apud Calvinistas nec Ministri munus obiui, nec publicè concionatus sum vnquam, nec scriptum vllum in lucem emisi aduersus Ecclesiam Catholicam: sed tantum Professor Philosophiæ & liberalium artium Lausanæ extiti. Quam professionem cum per octo circiter annos sustinuissem, parum de animæ meæ salute sollicitus, placuit tandem Deo Patri misericordiarum me respicere, & ad cor meum pulsare. Nimirum sterilitatem sectæ illius Calvinisticæ exiguumque amoris Dei & vniuersæ pietatis sensum qui in illa conspicitur, mirari cœpi: contra verò in memoriam reuocare pietatem eximiam, quam in Ecclesia Romana cum in aliis videram; tum in me ipso senseram, sicque cœpit in me reuiuiscere patriæ spiritualis reuifendæ desiderium, cum per me non rarò dicerem tacitus. Quot Mercenarij in domo Patris mei abundant panibus? ego autem hîc fame pereo. Subinde incidi in lectionem Centuriarum Illyrici, Reuerendissime Domine, (Salesium hæc dicens alloquebatur) quas quidem diligenter peruolui, maximèque ex ea lectione in proposito confirmatus sum: nam inde perspexi eandem nunc esse fidem Ecclesiæ Romanæ, quæ fuit omnibus præcedentibus sæculis ascendendo vsque ad Apostolo

stolorum ætatem : & eo maximè nomine omnes omnium sæculorum Doctores à Centuriatoribus reprehendi capite quarto singularum Centuriarum, quòd eam doctrinam in suis scriptis tradiderint, quæ nunc ab Ecclesia Romana retinetur. Vidi summam vnionem omnium Ecclesiarum cum eadem Ecclesia Romana. Itaque factum est, vt quos libros Matthias ille Illyricus, eiùsque affectæ in animarum perniciem composuerunt, mirabili Dei prouidentia mihi in salutem cesserint. Quod quidem beneficium magis magisque confirmaui assidua lectione librorum Cardinalis Bellarmini de Ecclesia & de Romano Pontifice, Nicolai Sanderi de visibili Monarchia Ecclesiæ, & aliorum Doctorum Catholicorum. Hoc igitur modo atque his mediis Spiritus sanctus firmum in me desiderium excitauit redeundi ad sanctam Romanam Ecclesiam. Et licet culpæ meæ grauitatem animo reputarem, consolabar tamen ipse me: & in spem obtinendæ veniæ erigebam, consideratione benignitatis sanctæ Ecclesiæ, quam ex veterum monumentis adnotaram redeuntibus ab hæresi & pœnitentibus impertitam fuisse. Quapropter egi tecum per litteras, Illustrissime & Reuerendissime Domine, teque rogavi, vt mihi veniam, pacem & vnionem Ecclesiæ conciliares, & apud te tandem Tononi Allobrogum hæresim omnem verè & ex animo abiurauit anno millesimo sexcentesimo octauo, & tu idem Præsul optime, autoritate à sanctissimo Domino nostro Paulo Papa quinto tibi peculiariter ad id delegata, absoluiisti me ab omni excommunicatione, & quibuscunque censuris ac pœnis propter hæresim incurris, in vtroque foro, nec non à quibuscunque votis, legibus, & vinculis quibus Societati Iesu adstrictus aliàs fueram, aut tunc essem, & laureæ sacre Theologiæ Doctoratus quâ ante defectionem insignitus eram restituiisti, ac demùm impositâ sæculari pœnitentiâ communioni Ecclesiæ Catholicæ me reddidisti. Sed heu! me miserum! non diu in ea perstiti, nam duorum annorum spatio grauissimâ tentatione & acerbo animi dolore continuo sum agitatus, ex assidua recordatione & commiseratione liberorum meorum, quos paruulos reliqueram, nec ad eos mihi licebat accedere: vrgebat me quoque erga vxorem dilectio & charitas. Qui sanè affectus adeò me vexarunt, vt iterum ad hæreticos redire me compulerint, neque vlla alia fuit reuersionis meæ causa. Verùm nec adhuc me dereliquit Domi-

nus, qui non vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat, eodẽmque ferè quo prius modo me ad saniozem mentem reuocauit. Tantisper demissis oculis conticescentem Salesius interrogauit vltèrius de nouis aliquibus eius conuersionis causis, quas ille sic edisserere perrexit. Primum (inquit) fastidire cœpi eos montes Gelboë, in quibus aberrabam, & super quos nec ros nec pluuia cœlestis consolationis descendit. Consideraui vanitatem & confusionem turris illius quam contra Christi Ecclesiam Lutherus ædificare conatus est, vt scilicet in sectas innumeras dissecta sit, quarum nulla aliarum linguam intelligit, sed singulæ singulis hæreticæ sunt, & peculiaris, sibi que inuicem repugnantia amplectuntur dogmata. Excitauit in me Spiritus sanctus ingens secundo & serio ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ communionem reuertendi desiderium, eius nimirum quæ cum toto terrarum orbe diffusa sit, communicat cum Episcopo Romano tanquam Christi Vicario, & verè Diui Petri successore, visibilique in terris omnium fidelium capite: quia manifestè cognoui, & firmiter credidi Ecclesiam hanc & Catholicam veram esse, & Christi sponsam, extra quam ad salutem æternam nulli aditus pateat. Ego igitur de Dei misericordia & Ecclesiæ lenitate confisus, rursus opem tuam imploraui per litteras, Reuerendissime & piissime Domine, vt si qua tandem ratione fieri posset absolutionem & Ecclesiæ communionem mihi impetrare dignareris, & tu significasti singulari sanctissimi Domini nostri Pauli Pontificis maximi clementiâ mihi Ecclesiæ finem aperiri: tunc nihil cunctandum ratus sum, quo minus ex pestilenti illa lacuna emergerem, & oblatum tantum beneficium auidè complecterer. Hac igitur de causa, non obstantibus multis grauibûsque quæ me circumstabant difficultatibus, sponte huc veni ad te Reuerendissime Domine, cum scirem conciones sacras habere, & tibi etiam nunc cum omni humilitate & animi summissione me præsentem sisto, culpam & apostasiam meam agnoscens & accusans, atque admodum supplex oro & postulo, in communionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ ex integro restitui, & impositâ salutari pœnitentiâ perfectè in vtroque foro absolui. Ego verò omnem omninò hæresim fidei sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ contrariam ex animo abiuro, præsertim autem Calvinianam, & promitto me in eadem Ecclesia Roma-

na vsque ad mortem constanter perseuerare velle, ei que fidelem obedientiam præstare, & me omnium hæresum expugnatorem, & Cathedræ sancti Petri omniumque successorum eius in Ecclesia Romana acerrimum defenforem diuinâ gratiâ futurum. His dictis Boucardus lachrymas retinere non potuit, & ei Salesius absolutionem in vtroque foro est impertitus, adstantibus Proceribus & Ciuibus quamplurimis, qui postea per vniuersam Gratianopolitanam Ciuitatem famam dispergentes aliis atque aliis hæreticis vt ad Salesium irent authores fuerunt. Miraculum erat qua ratione & concionibus quotidianis, & audientis confessionibus, & visitationibus excepiendis, & disputationibus accerrimis poterat satisfacere; siquidē præter hæc omnia sæpissimè ad Monasteria accedebat Monialium Montis floridi, & Sepium, cum illis de reformatione acturus, & concionabatur. At in vrbe tantum eius fama valebat. Viri quamplures auidè quidquid diceret scriptis mandabant, inter quos Dominicanus Religiosus vnus, & Franciscanus alter, necnon & Faurus Senatoria vir dignitate præfulgens, neque sanè fastidiebant illi laborem suum, cum noua in dies doctrinæ miracula Salesius operaretur, vnde Dominica quadam die cum exiret è concione populus, stupens & plaudens stetit in platea sancti Andreæ, vir Doctissimus in omni scientiarum genere, sed in omni Theologia præcipuè, linguarumque Hebraicæ, Græcæ & Latinæ peritia excellens Riguetta Cathedralis Ecclesiæ Canonicus, & quis est hic exclamauit, qui sic de Theologia tractat vt res difficillimas, & altissimas mulieribus ipsis idiotis & humillimis homuncionibus reddat intelligibiles? siquidem ea præstabat Magnus Episcopus vt cum doceret nihil intactum relinqueret, & nihil proferret quod nõ mirâ facilitate adductis similitudinibus & parabolis explicaret: ita vt non semel & Gratianopoli & alibi dixerint Theologi, atque in primis Sorbonici, verum eum esse Theologum, qui sanctitatem cum doctrina misceret; & inquebat eorum aliquis, non mirum est si quod docemus perperam est, & nullius vtilitatis: dicimus enim quod plerumque non intelligimus, & concionamur absque pietate. At Salesius dicit & intelligit, docet & facit. Hinc post auditam à tot viris grauissimis eius virtutem, tandem eum audiendi Franciscus Bonna Dux Diguierianus Delphinatus Prorex Caluinianæ sectæ hæreticus desiderium ha-

Francisci labores Gratianopoli.

Stupor magni Theologi de Francisco.

Bonna Diguierianus Francisci audis.

buit, crediturque in his Concionibus suæ conuersionis ad Romanam fidem iecisse fundamēta, neque enim multò post suam hæresim abiurauit. Siquidem cum Salesio multus aliquando erat, & die quadam de religionis rebus agens cum eo quatuor horarum spatio remansit inclusus: cum autem exeundo precaretur Salesius, ut si quid molestum fortè dixisset condonaret, respondit, nihil, nisi bene dictum, seque velle omnia attentius considerare. Deinceps Salesium magnis extollebat encomiis, & virum esse omnium amore dignum, inquebat, quibus ex dictis Calviniani Ministri cœperunt malè conuicere, scilicet Diguierianum motum à Salesio ad Romanam religionem inclinare, neque profectò decipiebantur. Ex his vnus, & quidem magni nominis, prudentior & sapientior fuit, auditis enim Salesij rationibus hæresi nuntium misit. Barberio huic nomen erat, qui postea contra Calvinisticam litem egregius scriptor extitit. Duobus item nobilibus sanctus Antistes in sæculi vanitatibus occupatis inter concionandum recedendi à mundi strepitu animum dedit, cum inductione ostenderet nullum animal esse homine infœlicius, vbi non is ad Deum attenderet, illudque Ecclesiasticis inculcaret, Vanitatem vanitatum & omnia vanitatem. Non poterat in his actionibus fieri, quin sanctus existimaretur: quamobrem quamplures ad eum accedebant ut sanarentur à languoribus suis, & alij eum aduocabant. Vir erat in Ciuitate magni nominis filiam habens à Cacodæmone possessam, & multum iam temporis fluxerat à quo miserè puella vexabatur. Rogatus fuit Salesius ut eam dignaretur inuisere; Promisit, & diem dixit: veruntamen cum expectarent omnes, puella à nemine admonita exclamauit, volebatis huc ad me venire Gebenensem Episcopum, minimè veniet, & iterauit, minimè veniet, quod verum fuit: nam Salesius aliis ex necessitate distractus negotiis promissum adimplere non potuit, qua de re certiores facti puellæ parentes & consanguinei, eam verè esse possessam cognouerunt. Diè tamen postera aduenit Præsul, puellam est alloquutus, priuatim (sibi videntibus tamen procul domesticis) adhibuit, interrogauit de vita & miseria, tetigit ad guttur, benedictionem ei suam sacram est impertitus, & recedens Patri dixit. Nihil hoc erit. Sana est puella, at nemini dicendum, matrimonio enim proxima est. Altero aut tertio die penitus puella

*Franciscus
Ministrum
conuertit.*

*Franciscus
possessam à
dæmone
puellam
liberat.*

puella liberata, & posthæc breui virum suæ conditionis Nobilem inuenit. Per hos dies litteras accepit Salesius à Roberto Cardinale Bellarmino responsorias ad eas, quas circa Congregationem Marianarum Sororum scripserat, antequam eas aperiret multa in tanti Cardinalis laudem effudit: inter cætera autem, Magnus hic Cardinalis, inquit, adeò bonus est, vt mali libri quos ad hæreticorum confutationem legit, nullo modo suis inhærere cogitationibus potuerint, nihil ita ignorat ac malitiam, & nihil minus cognoscit quàm quod scripsit. Miror autem, subiungebat, magni huius Doctoris obedientiam, qui nullas vitæ delicias se nosse verè potest dicere: quos enim labores non sustulit in reuoluendis hæresum fordibus? Et sanè reuoluit montes librorum vt murium partum reperiret. His afficiebatur erga Sanctum Sanctus, qui alias cum Cardinalis eiusdem librum recepisset de columbæ gemitu: heu inquit, columba innocens gemis in hoc sæculo, sed in cœlo & in foraminibus petræ & cauerna maceræ laboribus tuis finem dabis, & vocem tuam in auribus cœlestis sponsi sonare facies, & faciem tuam ostendes: vox enim tua dulcis, & animæ tuæ facies perquam decora. Profectò eadem de Salesio Magnus Bellarminus sentiebat, aiebátque aliquando, Miraculo eum Sabaudiæ datum ac natum, & miraculo factum Episcopum. Ciconiis comparabat, quæ uenerunt antequam uisæ sint. Innocentiam in primis eius commendabat, & Adamum in eo peccasse non uideri ad omnem occasionem inquebat. Sed exeunte Quadragesimâ redire etiam in suam Diocesim cupiebat Salesius, non prius tamen quàm in fraternitatis sacri Ordinis Minimorum cinguli catalogo inscriptus foret, quod gloriosum Franciscum à Paula mirificâ pietate coleret, & eius filios impensissimè amaret: cinctus est igitur in Monasterio Diui Andreæ ab Antonio Billiaco Superiore, & in fratrum numerum relatus est, quo etiam tempore pallium ei Diui Francisci à Paula ostensum, quodque sic ille ueneratus est, vt irruente quamuis in eum præ deuotionis impetu turba ne minimum quidem impatientiæ genuflexus & coarctatus signum ediderit. Deinceps cum ex minimis aliquos inter eundem offenderet, cingulum illud trahens è perula. Videte (inquebat) num ego frater uester sim, atqui reuera non solo nomine sum Minimus. Denique tot patratis Gratianopoli miraculis, quot ferè actibus ipsa

*Franciscus
quid de
Bellarmino.*

*Bellarminus
quid de
Salesio.*

*Franciscus
Minimorum
Frater.*

*Francisci
humilitas.*

*Franciscus
Barnabita.*

*Franciscus
ut in obitu
fratris se
gerat.*

etiam tertia à Dominica resurrectionis die profectioem ad reditum instituit, adeò vt mirati fuerint Anicienses eum tam citò rediisse, vnde eorum nonnulli, inter quos fortè Franciscus Viallo Pessanus vir Consularis & Iurisconsultus erat, cum stupore ab eo petierint, quamobrem tam festinus fuisset; quibus respondit in hæc verba. Videte, Ego sum velut statua, cum extra suum scaphium est, impedimento est omnibus. Significabat se suum amare Anicium, velut forulum proprium, & sanè cubiculum in illa ciuitate suum & musæolum sic incolebat & colebat, vt & cæteras vrbes & Procerum palatia quantum ad se parui faceret, vnde opimiores Episcopatus semper constantissimè recusauit. Anicium igitur redux cum omnia in Subalpinis belli terroribus tabescerent, ipse continuis precibus Deum Christianis rebus reddebat propitium, ac pro Principum concordia exorabat. Interim dum venère Mediolano sibi litteræ à Hieronymo Boërio Congregationis Clericorum Regularium sancti Pauli Generali Præposito, quibus Missarum, diuinorum Officiorum, orationum, ieiuniorum, vigiliarum, aliorumque omnium pœnitentiæ & pietatis operum, quæ in tota Congregatione perpetuò præstarentur, ad æternam salutem promerendam particeps efficiebatur. Gauisus est quamplurimum eo beneficio, Patribusque Barnabitis Aniciensibus gaudium suum multis gratiarum actionibus testatus est; sed interrupit illud triste nuntium obitus Bernardi Baronis Salesij Torentini fratris charissimi: eo enim recepto graui manu percussit suum femur, & multas emisit lachrymas, non tamen sub doloris ictu succubuit, quin imò statim iunctis & eleuatis in cælum manibus & oculis, hæc tranquille verba protulit inter suspiria: ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te; & subdidit eadem quibus in obitu Matris vsus fuerat: Obmutui, & nõ aperui os meum, quoniam tu fecisti. Sit nomen Domini benedictum in sæcula. Diuinæ providentiæ secreta, incomprehensibilia iudicia, & inuestigabiles adoro vias. Duabus ab hinc horis in Monasterium Visitationis se contulit, & Fremiottæ Chantaliæ Baroni, necnon Mariæ Amatæ Rabutinæ defuncti Baronis Coniugi consolationem quam ipse ceperat dedit, quæ & ambæ doloris impetum tulerunt fortiter & constanter. Hoc autem de obitu sic ad sororem Gasparam Salesiam Cornillionij & Merenti Dominam scripsit magnus Præsul.

Præful. Laboro propter te, Soror charissima, cùm obitum fratris nostri Torentini intelliges: erat enim ille nobis omnibus charissimus. At non est remedium, Voluntati Dei conformandæ sunt nostræ, illa enim rectè pensatis omnibus multum functo fuit tollendo eum è sæculi huius medio, & è vocatione quæ tanto perè secum fert damnationis periculum. Ego sanè hac in occasione non semel fleui, diligebam enim fratrem illum tenerrimè, & dolores à natura mihi causatos impedire non potui. Consolationem tamen accepi cùm intellexi eum Christianissimè suum clausisse diem, in manibus Patris Iusti Guerini, & sociorum eius nostrorum Barnabitarum, necnon Equitis nostri, post generalem peccatorum Confessionem, post tertiam reconciliationem, post receptum augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, post extremam Vnctionem. Quid animæ meliùs esse potest? Corporis verò subsidio nihil defuit; Et licèt pestilenti morbo decumberet, visitari tamen eum curarunt Serenissimi Principes, in primis Cardinalis, & Infantes eius Sorores, necnon & aulicæ Dominæ innumera quæ comedere possèt miserūt munera. Defunctum ipse Cardinalis Serenissimus magnis honoribus est prosequutus, & ad eius funeralia instruenda duodecim faces cum gentilitiis suæ Celsitudinis tesseris dedit. Nemo hominum tantos luctus ab omnibus tulit ac charissimus ille frater noster. Hæc Sanctus ad Sororem suam, & hæc ad Amatam Chiuronium Villetæ Baronem auunculum suum: ferè somnium est vigilantium hominum, inquit, hunc scire hominem mortuum penè antequam in Prouinciam illam aduentatum, vt nec suum Principem videre potuerit, cui vitam suam & animum consecratum ibat. Quid dicam amplius? Poterat in eo conditionis genere miserabiliùs mori. Benedictus sit Deus, qui abstulit eum à duellis, à seditionibus, à desperationibus, innumerisque aliis malis, quibus in hoc ærumnoso sæculo obnoxium est hoc vacationis genus: hæc porrò ad Religiosam quandam Visitationis scribebat. Vix dici potest quàm perfectus esset frater ille, quàm omnibus sese amabilem effecerat, quàm se ad sui Principis oculos præteriti anni occasione insignem reddiderat, & inter hæc en eum raptum: sed in omnibus diuinæ sit bonitati honor, gloria & benedictio. Hactenus Franciscus; sepultus autem fuit ille in Æde patrum Barnabitarum Augustæ Taurinorum sub hoc Epitaphio. Intuere Mortalis

humia

Bernardi
Baronis
Salesij obi-
tus.

Bernardi
Baronis
Salesij Ep̃i
taphium.

humanarum rerum vicissitudinē Catastrophem, fallaciam. Bernardus Baro Salesius & Torentinus Sabaudus Francisci Salesij Episcopi & Principis Gebennensis frater, strenuissimus Allobrogicæ legionis præfectus ipso ætatis flore foelicissimis magnorum honorum auspiciis, incredibili de sua bellica virtute, industria, & victoriis, apud Serenissimos Sabaudia Principes & amicos spe concitata, dum duodecim militum Centurias ad sui Ducis castra è Sabaudia fideliter & fortiter cogit, importuno, infœlici, lethali morbo corripitur, quem sentiens Diuinis mysteriis religiosissimè susceptis, & à Clericis Regularibus sancti Pauli, quos in vita summoperè dilexit, etiam in morte diuidi minimè passus, electo in hac Ecclesia sepulchro ad cœlestes acies magno sui relicto desiderio euolauit. Vixit annos triginta quatuor, mortuus anno Domini millesimo sexcentesimo decimo septimo, decimo Calendas Iunij. Eodem temporum tractu Franciscus Salesius quamplura patrauit Miracula. Circa festum Pentecostes Ioannem Claudium Canaliū à mania & dira rabie subitò liberauit. Is Canalius Sacerdos Rumilliacensis in ardentissimam inciderat febrim, qua vesanus & amens agebatur. Consanguinei eius & afines, ne fortè huc & illuc ad perniciem diuagaretur, ligatis eum pedibus & manibus incluserant: verum ille post tres hebdomadas ruptis catenis euasit, & effrenis equi in morem per nemora & montes, camposque curritabat. Secundò captus est & secundò ac tertio post quartum mensem rupit sua vincula amentior, & furis miserandum in modum agitatus venit Anicium, cumque sanitatis spes nõ esset, Sanctus Antistes eum quauis tandem ratione capi iussit, vt quartò captus est & in carcerem Episcopalis palatij deturbatus; frendebat illic rugiebátque, feræ in morem, & nisi vinctus fuisset seipsum dilaniasset. Elapsis diebus aliquot eum rediret è sacri celebratione Episcopus ad fenestram carceris accessit, vocauitque amentem, qui mäsuetus appropinquauit: tum Salesius manu per cancellos ferreos intromissa, cum ille ad interrogationem de sanitate nihil respondisset, blandè ad genas tetigit, impendentésque fronti capillos traxit, & ait. Num decet Sacerdotem (vt tu es) stultum agere, & ubique ac coram omnibus insanire. Sed age gratias Deo, per eius enim gratiam sanus es. Non mora, seruis præcepit vt carcerem aperirent, & aderant oculati testes illi Michaël Faber, Georgius Rollandus

*Franciscus
Sacerdotè
à mania
liberat.*

Rollandus Sacerdotes, & Franciscus Faber cubicularius, cum-
 que vnus ex eis periculum esse diceret si libertas daretur misero.
 Nequaquam, ait Salesius, referate illi portam, deinceps erit Sa-
 piens, Confidite. Reuoluta igitur ianua procubuit ad Sancti pe-
 des venerabundus Canalius, egitque gratias & Deo & illi, qui
 statim cum, vt agnum mitissimum secum duxit ad prandium. Si
 stupuerit ad miraculum tota familia, ac protinus vniuersa Ciuitas
 frustra diceretur. Nusquam deinceps relapsus est ille, sed bene
 semper habuit, abeunti benedictionem sacram Pontifex dedit, &
 narrauit postea ipse Canalius sœpissimè putasse se piceam calan-
 ticam suo è capite extrahi, cum Salesius capillos sibi traheret.
 Continuo Stephanus Friandus Tonensis venit, vxorem suam
 Stephanam Bochetam ducens à milite quodam sortilego ad sto-
 machum tactam, & dæmonum traditam potestati. Salesium au-
 tem salutans, inquit: Duce ad te Reverendissime Domine, con-
 iugem hanc meam, quæ à tribus hebdomadis neque bibit, neque
 manducat, neque dormit, & prætereà furibunda est, & infana.
 Author fuit mihi Curio noster Critanus, fertur enim te morbos
 istos pessimos optimè nosse, iisque afferre remedium. His dictis
 fuscè de omnibus Salesius interrogauit, mulierem duxit in Sacel-
 lum suum quod est ad aulae angulum, Confessionem eius audi-
 uit, Confirmationis Sacramentum ei contulit, quo factò statim
 illa ante altare ad Præsulis pedes animi deliquio concidit, fuitque
 mortuæ similis spatio quo recitari Angelica saluatio posset, at
 vbi à seruis releuata est, Consolatione se dixit plenissimam, & ex
 Dei gratia restitutam sanitati. Sacer Pontifex nihil egit prætereà,
 sed dixit tantummodò. Vade in pace Mulier, time Deum, eum
 ora & quiesce, breui sanaberis; at illa ex ea horâ Tonum sana
 prorsus cum marito recessit. Continenter propemodum Sancta-
 rianam Bargianam foeminam Nobilem ex Aruernia profectam
 in Ecclesia Diui Iacobi Patrum Capucinorum à dira Dæmonum
 vexatione Salesius liberauit: sed solemnissimè omninò fuit hac etiam
 tempestate Paralytici ab eo sanatio. Hora erat nona matutina,
 & sacrum celebraturus Præsul iam ante altare præparationis, vt
 vocant, preces genuflexus recitabat, cum ecce, homines Mau-
 rianenses aliquot adolescentem à Natiuitate pessima neruorum
 resolutione affectum, equo vtrunque impositum adduxerunt,
 deposueruntq; in Episcopali Caucedio supposito modico foeno.

*Franciscus
 foeminam
 à mania
 liberat.*

*Franciscus
 possessum
 à dæmone
 liberat.*

*Franciscus
 paralyti-
 cum na-
 tum sanat.*

Sensit murmur Germanus Pilliodus cubicularius descenditque in aream, ut sciret quidnam esset. Quem ut viderunt miseri, exposita adolescentis ægritudine, rogauerunt enixè ut Reuerendissimum Patrem, sic Salesium vocabant, alloqui possent, fecit officium Pilliodus, surgentique à præparatione sua Domino, inquit, sunt inferiùs Domine, miseri quidam homines ex partibus Maurianæ, qui impotentem adolescentem adduxerunt, cupiuntque valde ut eum videas si placet. Salesius eleuatis præ miseratione armis, hei dixit. Boni homines arbitrantur fortè me patrare miracula, & nihil possum pro eis quàm orare Deum, sed iube ut veniant; Cubicularius accersit eos, qui paralyticum exportarunt. Episcopus, deponite eum, inquit, super credentia & recedite tantisper, tum depositi miseri confessionem Sacramentalem audit, deinde celebravit. Absoluto sacro, reportate dixit, eum cras ad horam similem; & tu, ad miserum conuersus, sis paratus ut sacram communionem accipias, celebrabo enim iterum, & orabo Deum pro te. Paruerunt ad omnia illi, & post celebratam tertiam missam benedictione Pontificis acceptâ Paralyticus omninò sanatus est; nec mora liberè ad multorum conspectum per aulam ambulauit, recessitque potens, & Eques tibiis hinc inde positus. Quod autem verè paralyticus esset ex Medicorum & chirurgorum sententia inprimis Ioannis Grandis Talloriensis cui exhiberi parentes curarant Medici expertissimi omninò comprobatum est: sed ex Episcopi Christiana humilitate, qui rem obscuram haberi voluit factum est, ut citò discedente illo, nomen & patriæ locus ignorentur. Æstate verò hæc fiebant, qua ferè tota ad reformationem Monasterij Monialium Diuæ Catharinæ prope Anicium ordinis Cisterciensis incubuit; verùm cum ex arte diaboli mille obices suis quotidie consiliis ponerentur, illud dumtaxat efficere potuit, ut quinque Virgines Reformationis auidas ex eo Monasterio traxerit, collocaritque Rumilliaci, ac postea Rupi & Sesselli, vbi sub religiosissimis quas præscripsit Constitutionibus religiosissimam etiam vitam agunt, cum spe procedendi vltius, ita ut eum sacrarum illarum Christi ancillarum si non Institutorem saltem Reformatorem, Restauratorem ac Directorem sancta Sedes Apostolica cognouerit, & declarauerit. Dum hæc prosperè aguntur in Sabaudia de annumerando cœlitibus Iuuenale Ancina Sallutiensi Episcopo Romæ negotium

*Franciscus
Bernar-
diana re-
formatio-
nis author.*

tium erat, quare de tanto Præsule quaesitum est Salesij testimonium, quippe qui Sanctus de Sancto optimè testari poterat, & præclaram sanè sententiam referre fuerit operæ pretium. Gracissimum verò mihi (inquit) & iucundissimum est, quod audio de vita & viuendi ratione Perillustris & Reuerendissimi Patris & Domini Iuuenalis Ancinæ propediem in lucem emittenda: cum enim, vt magnus Nazianzenorum Pontifex Gregorius dixit, Episcopi sint pictores virtutis rei præclarissimæ, remque tam excellentem verbis ac operibus concinnè, & quoad fieri potest accuratè pingere debeant, non dubito quin in nostri clarissimi & spectatissimi Iuuenalis vita, Iustitiæ Christianæ, hoc est omnium virtutum omnibus numeris absolutam imaginem conspecturi simus. Et quidem cum Romæ quatuor illis vel quinque mensibus, quibus piissimi ac ornatissimi Prædecessoris mei Claudij Granerij iussu huius diocesis aliquot rebus tractandis operam dedi, plurimos sanè vidi eximiâ sanctitate & doctrinâ viros, qui urbem & in vrbe orbem suis laboribus exornarent: sed inter eos omnes istius seorsim virtus mentis meæ oculos vehementer occupauit. Mirabar etenim in tanta viri eruditione ac variarum rerum scientia tantam sui ipsius despicientiam, in tanta oris, verborum ac morum grauitate tantum leporem, tantamque modestiam in tanta pietatis sollicitudine, tantam urbanitatem ac suauitatem, cum nec fastum, quod plerisque contingit, alio fastu, sed verâ humilitate calcaret, nec inflante scientia charitatem ostentaret, sed charitate ædificante scientiam instrueret; dilectus planè Deo & hominibus qui Deum & homines purissimâ dilectione prosequeretur: purissimam autem appello eam dilectionem, in qua vix quidquam amoris proprii siue philautiæ reperire licebat; rara & exquisita dilectio ista, quæ etiam inter pietatis cultores rarò viget, vnde procul, & de vltimis finibus pretium eius. Obseruabam verò hominem hunc cum sese daret occasio, tam luculenter, tam syncerè, tam amantèr solitum laudare variorum Religiosorum & Ecclesiasticorum, imò etiam laicorum instituta, mores, doctrinam, Deoque inseruendi methodum, ac si ipse eorum congregationibus aut cœtibus addictus esset, cumque suam sibi que dilectissimam clarissimi Oratorij Congregationem dulcissimo & planè filiali corde complecteretur, non tamen propterea alios conuentus cœtusve Deo seruientium frigidius, vt

Francisci
de Iuuenali
de Ancinæ
sententia.

plerumque accidit, mollius aut languidius amabat, aestimabat, extollebat. Quamobrem eos qui tacti amore cœlesti intrinsecus purioris vitæ rationem sequi cupiebant, consiliûmque eius experebant, solâ Dei maiore gloriâ inspectâ, in societatem quam illis magis congruam putabat, manu ac opera amantissimè deducebat; homo videlicet, qui nec Pauli, nec Cephæ, nec Apollo, sed Iesu Christi erat, quique meum & tuum frigida illa verba, nec in temporalibus, nec in spiritualibus audiebat: sed omnia in Christo ac propter Christum syncerè expendebat. Cuius quidem tam perfectæ charitatis in hoc Apostolico viro exemplum nunc ad manum habeo. Obiit nuperrimè in Collegio huius Ciuitatis Aniciensis Clericorum Regularium Sancti Pauli, vir Religiosissimus Gulielmus Cramoësius Parisiensis, cum quo ut fit, dum verba miscerem, incidi in mentionem de Reuerendissimo Iuuenali nostro Ancina; at ille subito gaudio perfusus, quàm grata, inquit, huius viri, quàm chara mihi esse debet recordatio, quippè qui me iterum in Christo quodammodo genuit, cùmque vidisset me desiderium concepisse rem totam paulò fufius audiendi, ita narrare perrexit. Annos natus viginti quatuor (inquit) cùm iam multis inspirationibus Diuinâ Prouidentiâ me ad vitam religiosam incitasset, ita tamen pro mea imbecillitate contrariis tentationibus exagitatum me sentiebam, ut despondens prorsus animum de matrimonio ineundo seriò cogitarem, resque iam apud amicos ita processerat, ut propemodum acta videretur; verùm quæ Dei est benignitas: cùm Oratorium Valliscellæ ingressus essem, ecce audio Patrem Iuuenalem Ancinam de humani primùm ingenij inconstantia & infirmitate, deinde de ea magnanimitate quâ instinctus diuini exequutioni mandandi sunt ad populum verba facientem, tanta sermonis & sententiarum peritia, ut cordis mei miserandam pigrum quasi manu iniectâ excutere videretur: ita ut tandem quasi tuba exaltans vocè suam me ad deditioem cogeret, quapropter statim finito sermone ad eum in Oratorij quodam angulo preces pro sermone sui ut reor fœlici successu fundētem, hæsitans & anxius accedo, & quid animo voluerem expono. Ille verò res (inquit) hæc paulò accuratiùs tractanda est, neque nunc nobis tempus suppeteret. aduesperascente iâ die. Itaque cras si ad me veneris opportuniùs de re tota agemus

agenus. Tu interim quod caput est, lumen cœleste precibus aduoca. Veni ergo postridie, & quidquid in vtramque partem circa vocationem meam agitarem syncerè aperui, seorsim verò me ob id potissimum religiosam vitam formidare, quòd corpus debile ac delicatæ temperaturæ nactus essem, quibus attentè auditis & expensis. Et propterea (inquit) seruus ille Dei, Diuinâ Prouidentiâ factum est vt in Ecclesia varij sint ordines Religiosorum, vt scilicet qui austeris & pœnitentiæ exteriori addictis non possit vitam addicere, mitiores ingrediatur. Et ecce tibi Congregatio Clericorû Regularium sancti Pauli, in qua disciplina perfectionis religiosæ summoperè viget, & nullo tamen tanto corporis labore premitur, quin à quouis propemodum homine eius mores ac constitutiones facillimè Deo propitiò obseruari possint; accede ad eorum Collegium, & vide tu ipse num ita res habeat, neque deinceps cessauit vir Dei quousque me huic colendissimæ Congregationi adscriptum videret & insertum. Et hæc quidem narrabat Gulielmus. Ex quibus facile est coniecere quanta fuerit magni Iuuenalis Ancinæ in dicendo efficacia, in consulendo sagacitas, & in iuuantis proximis constans & perfecta charitas; quod enim nunc exempli gratia à me recitatum est, id ipsum cū plerisque aliis actum cognouimus, & quidem quod ad me attinet, ingenuè fateor, plerisque; quas pro sua in me propensione ab eo accepi literis vehementer ad amorem virtutis Christianæ incitatum fuisse. Iam autem postquam à præclaro Congregationis Oratorij viuendi modo ad sacrosanctum Episcopale munus translatus est, tum verò maximè eius virtus splendidius micare, ac clariùs, vt par erat, splendescere cœpit, vt lucerna nimirum ardens & lucens, quæ super candelabrum posita omnibus lucet qui in domo sunt. Et quidem cum Carmaniolæ, quod oppidū est Salutiensis Diœcesis, vbi Visitationis Pastoralis officio tunc incumberebat, anno millesimo sexcentesimo tertio eius salutandi gratia, relicto tantisper itinere venissem, sensi ego tunc quantam dilectione mixtam venerationem eius pietas & virtutum copia in populis illis excitaret: nam vbi me appulisse cognouerunt, dici satis non potest quo ardore mentis amica quadam vi ex hospitio publico in domum cuiusdam nobilis Ciuis inuexerunt, quandoquidem, inquiebant, hominem qui honoris gratia ad suum dilectissimum Pastorem diuerteret, vellent si mo-

dō possent in medio pectorum recondere, neque vnquam sibi
 satisfaciebant in lætitia, quam ob tanti Pontificis præsentiam
 conceperant, verbis ac vultu iucundè exprimenda, cū ille no-
 billissima quadam affabilitate, ac suauissima erga omnes beneuo-
 lentia, omnium pariter oculos animosque in se conuerteret, ac
 tanquam Pastor egregius & beneficus, oues suas nominatim ad
 virentia pascua euocaret, manibusque sale sapientiæ plenis vt
 post se venirent alliceret, imò & traheret, vno tandem dicā ver-
 bo, cui absit inuidia. Non memini me vidisse hominem, qui doti-
 bus quas Apostolus Apostolicis viris tantoperè cupiebat, cumu-
 latiùs ac splendidiùs ornatus esset. Plurimum valuit hoc Salesij
 iudicium ad existimationis de Ancina ab omnibus conceptæ in-
 crementum, & ex stylo satis cognitum est, Sanctum pro Sancto
 laborasse. Labentis Autumni hæc erant opera, qua tempestate
 iterum à Gratianopolitano Senatu ad Conciones Aduentus Do-
 minici & Quadragesimæ inuitatus est; sed ne quid inconsulto
 Duce fieret, scripsit idcirco. Gratianopolitani Diguierianum
 Ducem quamuis adhuc Hæreticum rogauere vt ad habendum
 Salesium apud Serenissimum Allobrogum Ducem intercessor
 pro eis esse dignaretur. Bonna adhuc etiam Salesij auidus sic
 egit, vt licere Gratianopolim Salesio repetere Dux Serenissimus
 rescripserit. Exeunte igitur Nouembri Vir Apostolicus mira pa-
 traturus profectus est: verumtamen non ad Ministrorum gau-
 dium, qui non nisi eum in suam venire perniciem sciebant. Ac-
 cedebant autem sæpissimè ad eius Conciones, vt Pharisaorum
 & Scribarum ad instar eum in sermone capere possent, cū in
 vita ne minimum quidem imperfectionis atomum animadu-
 terent, nec valerent eum arguere de peccato. Aiebant initio. Au-
 diamus quid tandem noui dicturus sit! Quis fieri poterit vt ea quæ
 superiori anno dixit non aliquando repetat? At Salesius alium se
 ab eis esse ostēdit, qui semper ad finē deficiūt, doctiùs & potenti-
 tiùs quam vnquam concionatus est, quæ res tantam in eum à
 peruersis & Satanæ organis attraxit inuidiam, vt cū non am-
 plius hæresis posset rationum momentis resistere, imperitam &
 stolidam suam plebem armauerit conuiciis & scommatibus ad
 sanctum Præsulem impugnandum, qui sanè hos canum in lu-
 nam latratus contemnendo frustra rabie miseros confici etiam
 videbat, & interim multam in Ecclesiæ horrea messem immitte-
 bat.

*Diguieria-
 nus Ducē
 roga: pro
 habendo
 Salesio.*

*Ministro.
 rum Gra-
 tianopoli-
 tanorum
 supor de
 Francisco.*

bat. Superatis solemnibus festis fluente Ianuario anni millesimi sexcentefimi decimi octauo Anicium reuersus est, vbi filiationis & participationis litteras omnium bonorum operum Ordinis fratrum Capucinatorum anno iam superiori Lugduni à Generali Paulo Casenensi datas recepit, adeò omnes Religiosos Ordines Præful Religiosissimus amabat, vt amabatur ab omnibus: siquidem pro omnibus semper impensè studuit & Monasteria ab disciplina regularis obseruantia alienata ad meliorem normam reducere conatus est, vt hoc etiam mense erga Sixienses Religiosos testimonium exhibuit. Variis illi à Sancto Præfule litteris admoniti fuerant vt in communi viuerent, claustralique Priori obedirent, quòd tandem fecerunt, & Salesius promissi auctoritate visa sic eam ratam habuit. Desiderauimus diu (inquit) omnes Diocesis nostræ Religiosos ad primæuam sui instituti regulam ac normam redire, sed præcipuè id fieri & cupiuimus, & adhortationibus curauimus in Monasteriis quæ curæ nostræ ac sollicitudini & Iurisdictioni ordinariæ relicta sunt. Quare hanc promissi auctoritatem Piorum Canonorum Regularium sancti Augustini Monasterij Sixensis non solum approbamus & ratam habemus, sed laudamus & amamus quàm possumus enixè in Christi visceribus, atque vt deinceps adamussim seruetur, pro nostra in id Monasterium & eius regulares Canonicos ordinaria potestate ac auctoritate in Domino præcipimus ac mandamus necnon omnibus paupertatem illam, quæ ab his qui in communi viuunt obseruatur, colentibus paternè benedicimus: decimo Calendas Februarij, quo die graui afficiebatur mœstitia ob extremam valetudinem qua Vir sibi intimus quippe apud quem animum etiam pro Pœnitentiæ Sacramento effundere solitus erat, Philippus Coësius Sancatharinianus Talloriensis Cathedralis Ecclesiæ Canonicus decumbebat. Calidè Pontifex piissimus pro piissimo Sacerdote Deum orauit, cum eum sciret esse seruum fidelem & prudentem super familiam suam, etenim in Cathedrali Ecclesia Pœnitentiarium magnum ille agebat, sed inter orandum accepit à Domino morti proximū esse. Quamobrem adoratâ Diuinâ voluntate in illius domum visitationis officio perrexit, interrogauit de statu animæ, ad transitum animauit, ad futurumque se si necessarius esset semper promisit, tum recedens aduersperascebat enim ægrique fratrem Claudium Ludouicum,

*Franciscus
Capucinus
seu ordinis
filius.*

*Franciscus
Sixienses
laudat.*

*Franciscus
reuelationem
habet.*

uicum, Nicolaum Coësum Talloriësem Priorem flentem amarissime videns, priuatim sese illi adhibuit, dixitque. Calidè orauit Deum pro sanitate optimi fratris nostri, (sic eum vocabat) sed reuelauit mihi velle se eum. Dominus est, vide ne verbum proferas, quos patitur nunc dolores ii sunt quos in purgatorio pati debuisset. Quibus verbis leuari se sensit mœstus frater. Domum vt reuersus est, Ludouicum Salesium Baronem Torentinum de Medicorum super ægro iudicio interrogauit, qui dixit affulgere adhuc spem salutis aliquam ex eorum coniecturis; at Præsul. Bene (inquit) Morietur: ego enim aliquid scio. Prior Coësus statim ab Episcopi discessu ad moribundi fratris ceruical accessit, ab eo vocatus, qui cum pergeret amarè flere. Noli (inquit) frater mi ex obitu meo affligi, parce lachrymis. Dominus enim Episcopus promisit mihi se tui curam habiturum. Caue autem. O caue ne quidquam inconsulto illo aggrediaris. Et ecce quod istinc abiturus dico, neque enim debeo rem tanti momenti in alium mundum deferre. Reuerendissimus Dominus magnus Sanctus est, habe eum vt Diuum Ioannem Baptistã, quod ad Virginitatem, & vt Diuum Carolum Borromæum quod ad humilitatem & paupertatem spiritus. Planè magni sunt ponderis hæc viri piissimi morientis verba. Nox iam erat cum deficere visus est ager. Missum est illicò ad Antistitem, ægri enim domesticos rogauerat, vt cum morti viderent proximum, eum vocarent. Interrupit cœnam bonus Præsul, venitque ad suum Coësum cui agenti animam, animo dixit, Mi frater, moriemur, sed moriemur benè, prope est æternitas, & videbis Dominum Deum nostrum in terra viuentium, dum autem hæc diceret, moribundus leuabat oculos suos in montes illos coagulatos, montes pingues, in quibus beneplacitum est Deo habitare, verùm dum elinguis iam esset, extremosque emitteret singultus, Salesius adstantibus omnibus genuflectere iussis Litanias recitauit & animam illius Deo commendauit, abeunti suam sacram impertitus est benedictionem, & functi oculos clausit, tum nonnullas emisit lachrymas. Et quia vt seruum Dei semper coluerat, optimèque de eius æterna salute credebat, eius rosarium & zonam habere voluit. Dici satis non potest quantos luctus Reuerendi illius Canonici obitus in Ciuitate excitauerit, amabatur enim ab omnibus, quod Ecclesiasticus esset numeris omnibus absolutus, & qui synceram ac religiosam

Sanctharini de Francisco verba.

Sanctharini obitus eius e. logium.

giosam pietatem exercebat. Porrò quæ moriens in Salesij commendationem effuderat statim in vulgi notitiam peruenerunt. At Salesius humilitate conceptam de se opinionem conabatur auertere. Eodem ferè tempore decumbebat ad mortem vir longè ab illo alius, quippe de sua æterna salute ob peccatorum multitudinem desperans, frustrà ad eum in spem reuocandum multi Confessarij laborauerant. Salesius blandè cum eo egit, sicque de Dei bonitate & misericordia per optimam fidem certiore reddidit, vt eleuatus miser per Confessionem contritione plenissimam veniam petierit à Deo, & fœliciter clausit diem. A quibus Christianæ charitatis actibus Sanctus Episcopus Gratianopolim ad Quadragesimales Conciones rediit, quas suo more perfecit incredibili cum animarum fructu, & absoluit Diguieriano Romanæ Religionis & fidei amplectendæ desiderium immittere. In Diœcesim redux vndecimo Calendas Augusti visitauit Prioratum Sanioricianum ad lacum Aniciensem vnitum Prioratui Talloriensi Ordinis Diui Benedicti, & Sancti Iorici ossa eiusdem ordinis Religiosi ex primis qui Talloriense Monasterium instaurarunt in honorificentiore locum reportauit, eadèmq; die visitauit parœciale eiusdem pagi Ecclesiam Diuo Nicolao sacrâ. Est & alius in Falcinij Prouincia pagus à sancto Iorcio seu (vt alij putant) à sancto Georgio nomē habēs illac, cum fortè per hos menses Salesius pertransiret premereturque siti pessima ob ingentes æstatis calores, sed præter illum serui tabescerent, visum est in pago sistendum, donec adspiraret dies & inclinarentur vmbra. Hospes erat vnicus Ludouicus Danto, à quo cum sanctus Antistes vinum petiisset, intellexit nullum esse præter corruptum, ex quo signinum conficere paratus erat. Quinimò, aiebat hospes, aquam potius suaderem bibendam quàm vinum istud, posses enim ex hauustu decumbere. At Sanctus: Nihil refert (inquit) Videamus vinum illud, & iterauit petitionem, tum hospes modicum corruptissimi vini in scypho porrexit, quo Salesius degustato, reliquum reddens, Cape (inquit) optimum enim vinum est, nec time famulis nostris bibendum dare. Stupuit Danto, & post Sanctum ex eodem scypho degustauit, inuenitque nullum vinum potentius. Statim arescentibus seruis quantum ad pellendam sitim petierunt dedit, qui etiam ne deinceps melius reperirent metuentes, lagenas impleuerunt, quas secum adspor-

*Franciscus
desperan-
tem reuo-
cat.*

*Franciscus
subito vi-
num corru-
ptum opti-
mū reddit.*

*Gregorium
miraculū.*

tauere, ipseque hospes Episcopo profecto intra duos deinde dies, quidquid supererat illius vini totum ad mensuram poculi sexdecim assium pretio (adeo potens erat) vendidit. Miraculum fuisse euidentissimum omnibus extitit. Sed hac de re Præsul, ut solebat de cæteris, omnino tacuit, perrexitque ad suos Sixenses Canonicos eorum reformationi finem & terminum impositurus. Appulit pridie Idus Septembris, qui dies Martis erat, & mansit usque ad decimum sextum Calendas Octobris, quo temporis spatio pro religiosæ disciplinæ restitutione egit prorsus præclarissima. Quandoquidem (inquit in Actis) Monasterium venerabilis Ordinis Canonorum Regularium sancti Augustini pagi Sixensis, Curæ ac & Iurisdictioni Prædecessorum nostrorum ac nostræ secundum primæui iuris Ecclesiastici sacras regulas relictum sit, nos sanè ipsius & Canonorum in eo Deo seruientium utilitatibus quàm impensissimè facere possumus incumbere, ac animum intendere debemus & volumus. Quapropter cum Deo inspirante ipsos Venerabiles Canonicos de pristina regulari obseruantia, quæ temporum iniuria inter eos collapsa propemodum & extincta iacebat, erigere, & in integrum restituere velle, necnon Illustres & Reuerendos admodum Dominos Iacobum Mouxiacum Abbatem licet Commendatarium, & Humbertum Mouxiacum eiusdem Adiutorem & Monasterij Electum, non solum huiusmodi pia consilia ac vota probare, sed etiam adiuuare ex animo statuisse cognosceremus: nos quoque ut auctoritatem nostram ordinariam ac opem huic tam laudabili & desideratissimo operi impendere facilius possemus, huc venientes, omnibus inspectis & consideratis, ita demùm decernendum ac constituendum censuimus. Et primùm quidquid in vltima nostra visitatione sancitum est, tanquam iuri & rationi consonum iterum districtiùs præcipimus & decernimus faciendum. Quia nullus inter Canonicos nunc superstites inuenitur, qui disertam emisserit professionem sacri Concilij Tridentini menti ac verbis inhærendo, declaramus & decernimus eos omnes Canonicos ad professionem explicitam teneri, & idcirco iis omnibus qui nunc habitum gestant, annum præfigimus, qui quasi annus probationis habeatur, quo elapso statim vel eam professionem emittant, vel causas si quas habeant cur nolint emittere nobis exponant. Deinceps verò statim elapso probationis anno, ut idem Concilium

*Franciscus
vltimum
manum
reforma-
tioni Si-
xienti ad-
hibet.*

Concilium statuit, vel ad professionem Nouitius admittatur, si reperiatur idoneus, vel à Monasterio repellatur. Si verò post probationis annum adhuc idoneus ad profitendum non existimetur, & nihilominus spes probabilis existat, si amplius, imò etiam secundo integro anno in Monasterio retineatur, eum fieri posse idoneum. Licitum esse, Congregatio Cardinalium Concilij respondit, quandoquidem de idoneis Concilium, non de aliis decreuit. Nouitij porrò in hoc à Professis quoad habitum distinguantur. Quòd Professi Epomidem in omnibus Diuinis officiis deferre soleant: Nouitij verò solo supparo vtantur. Cùm hæc Abbatia commendata sit, præcipimus, vt deinceps omnibus Canonicis vnus eiusdem Ordinis disertè professus, qui Prior nominetur, & gregi præire ac præesse possit iuxta Tridentinum Conciliũ capite vigesimo primo, sessione vigesima quinta, præficiatur & constituatur. Is verò vt capite sexto cautum est, per secreta vota eligatur à Capitulo, ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur, & in quem maior pars Capituli per ea secreta vota inclinauerit, electus omninò censeatur, qui etiam vsque ad obitum in eo Prioratus officio, dummodo rectè se gesserit, perseueret. Cæterum idem quoque de Subpriori fiat. Omnes illi Priori obediant tanquam Patri, vt Diui Augustini regula præcipit, & eo absente Subpriori. Si quid autem maioris momenti faciendum sit, aut præcipiendum, nec sit periculum in mora, Prior nihil moueat aut decernat, quin prius ea de re cum Capitulo suo contulerit. In omnibus verò grauioribus difficultatibus, quæ per Priorem aut Capitulum solui nequibunt ad Episcopum, siue eo absente, Generalem Vicarium accedatur, qui ex ordinaria potestate constituet quid agendum sit; quemadmodum hætenus obseruatum est. Prior diebus singulis Sabbathi tabellam in Ecclesia ponet, in qua notata erunt eorum nomina, qui Altaris officia & chori per totam hebdomadam obire debebunt. Quæ omnia secundum ritus & ceremonias Cathedralis Ecclesiæ vt fieri poterit persoluentur. Nullus liber habebitur in Monasterio nisi de licentia Prioris aut Subprioris, qui videat ne libri ab Ecclesia prohibiti, aut curiosarum siue inutilium scientiarum afferantur: & vt sit in Monasterio piorum librorum, casuum, vt vocant, conscientiarum, & Theologicorum copia & suppellex, quæ possit omnibus Canonicis sufficere, vt singulis die-

bus secundum Regulam certa hora queant incumbere. Hora autem legēdi erit ante Vesperas preces, inter Vesperas & Completorium, & inter Completorium & cœnam. Prioris aut Subprioris curâ fieri debet, vt vnusquisque in Nouitiatu Catechismum sacrosancti Tridentini Concilij Latinè vel Gallicè legat, & de huiusmodi lectione rationem reddat. Singulis porrò diebus Canonicoꝝ aliquis magis idoneus iudicatus nouitios aliòsque si opus fuerit de cantu & cantandi ratione instruat. Quamprimùm fieri poterit mensa ita componatur, vt ex vna tantum parte Canonici sedeant, illisque portio sigillatim detur: Benedictio autem mensæ & gratiarum actio post refectionem ab Hebdomadario fiat, nisi festis solemnibus, quibus huiusmodi officium Priori aut Subpriori incumbet, ac durante refectione semper legatur voce clarâ & intelligibili, cùmque debitis inter puncta interstitiis. Singulis diebus Sabbathi Prior, vel eo absente Subprior conuocet Capitulum, vt vocant, & in eo si quid in officiis, vel in actibus, aut in moribus Canonicoꝝ contra regulam obrepserit, corrigat, etiam pœnitentias iniungendo, prout expedire videbitur; si autem nihil sit corrigendum, legetur articulus vnus regulæ, & post orationem omnes in pace recedent. Omnia iura clamant quod in vltima nostra visitatione decreuimus, Mulieres scilicet ne quidem ad breue tempus intra septa & muros exteriores Monasterij habitare, aut commorari debeant. Propterea nos omnibus & singulis ad quos spectat, districtiùs in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis maioris præcipimus, vt omnes omninò mulieres à Monasterio arceant, eiiciant, & expellant, si quæ in eo reperiantur, néve eas aliàsve vnquam admittant, aut intra Monasterij septa consistere patiantur. Sub pœna eiusdem excommunicationis mandamus, vt intra mensem ab hac die decima quinta Septembris anni millesimi sexcentissimi decimi octauo computandum, omnes & singuli qui instrumenta siue titulos Monasterij habent, ea in archiuis reponant. Dominus Abbas Canonicoꝝ Communitati quotannis duodecim præbendas persolvere tenebitur, eo modo quo in prima nostra visitatione notatū est, & communitas duodecim idoneos, residentes, vel de iure pro residentibus habendos alet, hoc est victum eis, vestitum, & alia ad vitam necessaria dabit. Adificia totius Monasterij Abbatis sumptibus ad debitam

ac regulari obseruantia congruam formam restituenda & conseruanda erunt. De ceteris verò Canonicorum petitionibus, quia inter eos & Adiutorem amicè conuentum est, nihil præterea decernendum existimauimus. Hæc Sanctus Legislatoꝝ. Iam quo tempore moram in eo Monasterio traxit miraculum visum fuit quod in eius gratiam innumeri pisces capti sint: ita vt nusquam Annis Giffria tot & tantos præbuerit, vt statim Incolæ omnes locorum illorum obseruarunt: quæ res non parum pauperes religiosos leuauit, sed aliud longè excellentissimum patratum est miraculum. Venerant ad Antistitem sacrum ex Falciniensi, Gexensi & Caballiano agris variorum negotiorum ergò viri quamplurimi non infimæ conditionis, tum Ecclesiastici cum laici, qui omnes paucissimis exceptis in Monasterio & Cômunitatis sumptibus vixerunt, ita vt alicuius dignationis hominibus ducenti facti fuerint pastus, minoris verò notæ utpote seruis quadraginta, duos in ducentis, computando quos ipse sumpsit, reliquos enim noluit Cômunitatis expensis. Quamobrem assiduè lamentabatur quam Canonicis causabat incommoditatem, & extranei quidem supputatione ab Oeconomo facta præter solitum & ordinarium familiæ, tantum biberunt vini quantum ferre possent duo equi, & tantum manducauere panis quantum ex duobus Sabaudicis modiis, si modium ad centum & octoginta libras, & libram ad octodecim vncias ponderes, confici potest. Post discessum autem Pontificis reperta est ea sola panis & vini diminutio, nec adhuc tanta quantitas fuisset, si ad solitum & ordinarium stetisset Cômunitas, ita vt ducenti illi & quadraginta pastus neque panem, neque vinum minuerint, imò & plus panis & vini superfuit quàm si nullis extraneis onerata fuisset Cômunitas: siquidem à sex diebus ante aduentum Episcopi aperuerant vas vini, & panem ad ordinariam mensuram coxerant, neque ex alio vino bibitum, & alio pane manducatum est; superfuit verò panis ad aliquot deinde dies, & qui huius rei fuere testes Episcopo iam Anicium reuerso, Miraculum exclamarunt, Ioannes Moccandus Prior, Bernardus Passierius, Franciscus Biordus, Nicolaus Desfayerus, Bernardus Rannaudus, Claudius Moccandus, & Ioannes Passierius. Canonici Regulares, credideruntque id sancti Præsulis factum precibus, qui de tot eorum sumptibus sui occasione dolebat, quique

*Captura
piscium pro
Francisco.*

*Stupendū
miraculū
de multi-
plicatione
panis &
vini.*

*Franciscus
Lueteriam
proficisci-
tur.*

Concionatur.

*Mirè lau-
datur ab
omnibus.*

se Deum rogaturum dixerat, vt de rore cœli & de pinguedine terræ esset eorum benedictio. Vacare non poterat vir ad munus Apostolicum à Deo datus. Rogauerant eum Superioribus iam annis Æditi Parœcialis Ecclesiæ sancti Andreæ Parisiensis vr- bis, vt eos suis decorare concionibus ad Quadragesimam & Ad- uentum Dominicum dignaretur, & consenserat. Gratis etiam in eam rem accessit occasio, quippe Serenissimus Princeps Mauri- tius Cardinalis à Sabaudia ad Regem ibat, de nuptiis Serenissimi sui fratris Victoris Amedei Subalpinorum Principis, cum virgine Regia Christina Francica Henrici filia & Ludouici Sorore actur- us. Quamobrem iussione accepit à Serenissimo Duce Sale- sius, vt Paranympum Cardinalem in Galliam comitaretur. In- eunte igitur hyeme profectus est, appulitque opportunè amplif- simam illam ciuitatem, hospitio exceptus in œdibus Anchorita- nis, ascendit statim in Cathedram Parœcialis Ecclesiæ sancti Andreæ, vbi tanto cum applausu populi, & tanta fama Concio- nes habuit, vt non mora ad eum audiendum, Cardinales, Episco- pi, Principes Regij sanguinis, & Senatores vndique accurrerint. Per vicos transeuntem quærebant omnes tangere, quia virtus de illo exibat, & quia cum eo erant à Serenissimo Duce Legati, Ge- rardus Scallia Comes Verrucanus, & Antonius Faber Sabaudia Præsides, palam dicebatur in aula, Sabaudia Ducem non potuisse suum melius ostendere ingenium, quàm in trium horum Viro- rum illustrium electione, qui diuersæ licet conditionis, nihilomi- nus eius in negotio concordēs forent. Dicit satis non potest, quot & quantis culti fuerint honoribus, & sanè merebantur quidquid vnquam prudentissimi Oratores meruerint. Salesius autem ex omnium sententia potentioribus ictibus fœdus illud percussit, quo preciosissima Europæ gemma (vt aiebat) Sabaudia decora- ta est, locupletata est, & assererat hunc ei honorem Alexander Vindocinus Franciæ magnus Prior, qui non semel Serenissimæ Principi illi concham esse Salesium dixit, quæ Diuinitatis vnio- nem in se haberet. Stupebant prorsus omnes dum tantæ pietatis Præsulem, tanta etiam rerum agendarum peritia ornatum con- siderabant, & plusquam hominem esse Aulici ipsi, qui rarò pie- tatem laudant, fatebantur. Doctor Sorbonicus Vincentius Ec- clesiæ Diui Nicolai, quam de Chardonere to vocant Curio, Ne- scio inquiebat, Iesu Christi in terris agentis consuetudinem ex- pressiori

pressiori mihi repræsentare imagine, quàm cum Salesium Gebennensem Episcopum cum ea mansuetudine, prudentia, humilitate, & virtutibus omnibus cōsidero; & dicebat hoc eum Quadragesimales Conciones continuantem audiens, quibus Vir Apostolicus etiam Hæreticos quamplures ad Christi & eius Ecclesiæ Romanæ reuocare caulas continuabat. Insignis fuit Viri Nobilissimi Gubernatoris Pheræ in Francico Belgio, tunc fortè Lutetiæ ex morbo decumbentis conuersio. Hæreticus erat obstinatissimus, alioquin ob militarem disciplinam benemeritus. Nobiles quatuor eius amici, sed Catholici, timentes animæ, ne in eo misero hæresis statu abiret in gehennam, fusè apud eum Salesium laudauerant, vt Præsul esset doctissimus & mitissimus, vt verè virtutem cum nobilitate coniunxisset, vt à nemine auersus esset: tum subdiderant; Visne vt eum ad te huc ducamus? & ille: facite quod voletis. Venerunt igitur ad Salesium, rogaueruntque dignaretur ægrum hæreticum inuisere, si fortè conuersioni locus esse posset. Iuit confestim Salesius, quem cum intrantem videret æger exclamauit: Hei, Domine, ad quid venis? Vt me ad tuam religionem conuertas? si id præstas plus facies quàm fecerit vnquam Diuus Petrus. Subrisit comiter & blandè, vir Dei, responditque: Domine, nescis quid tibi seruet Deus; tum coepit multis sermonibus cum eo agere. Quibus auditis æger: præclara dicis, inquit, mi Domine, neque is ego sum qui ad hæc omnia respondere queam, verumtamen da mihi octo dies, conferam de omnibus cum Petro Molinæo Charantonio Ministro, vt si placet conueniatis, & coram me hæc causa agitur. Placuit oblata collatio Salesio, qui ait, Ita sit planè, elige diem & horam, & si monitus fuero adero procul dubio. His ita statutis curauit æger accersiri Molinæum, cui omnia recensuit; at vecors Minister nolle se dixit disceptare cum Salesio, quamuis intra dierum illorum spatium ter & quater postea prouocatus, contestato inquitente Gubernatore eum de sua anima in die iudicij responsurum. Elapsis diebus octo reuersi sunt ad Salesium quatuor Nobiles, eum ex indicto iterum ad ægrum ducturi. Et quidem lecto proximus. Bene (inquit) Domine, quid per hos dies circa res nostras egisti? An venit Molinæus? Ad hæc infirmus atrocissimis querelis fusè de Ministris lamentatus est, quòd eum sic quinquaginta annorū spatio decepissent, & exclamans ah, inquit, ego Molinæum
potenter

*Insignis
conuersio
hæretici
Sauripa à
Francisco.*

*Molinæo
solicitudia.*

*Quam ef-
ficax con-
uersio.*

*Franciscus
uirum no-
bilem con-
uertit.*

*Et alii ab
atheismo.*

potenter sum alloquutus, sed quandoquidem disputare renuit, bonam profectò non iudicat suam causam: sed perge Domine, obsecro, de religione Catholica me instruere, paratus sum enim Calvinianam abiurare. Salesius tunc iunctis manibus & eleuatis in cœlum oculis, æternum & optimum numen breuiter ad orauit, docuitque ægrum suum Catechismum, ac animæ salute tradita etiam corpori sanitatem dedit, Molinæo cæterisque Ministris freudentibus, & confusione opertis. Et Gubernator ille post ingentes actas gratias in patriam suam redux non solum constantissimè in fide Catholica perseuerauit, sed etiam vniuersam familiam conuertit. Celebris profectò fuit hoc lucro Salesius, sed non minus hoc alio. Rogatus fuerat à Montigniaca Matriona Nobili, vt Dynastam quendam sibi consanguineum vel affinem à multis iam annis hæreticâ prauitate affectum alloqui dignaretur. Promisit Officium, & cum matronis in aula donec veniret ille præstolatus est. Non longiori semihoræ morâ intrauit solus hæreticus, nam & sic conuenerat, atque vbi datâ sede propior fuit. Conuersus ad Montigniacam Salesius: si scirem, inquit, ô Domina, hunc esse cuius causa loquuti sumus, rogarem eum, dubitationes & difficultates circa fidem nostram suas proponeret; tum ille reuerentia iterum facta, Ego sum, inquit: & vt breuiter faciamus, si probas mihi Purgatorium subitò Catholicus fiam. Et Salesius Rogo te ergo Domine vt patienter me audire velis, spero enim tibi iuuante Deo hac in re optimè satisfactum iri, exhiberi sibi sacra Biblia iussit, quæ in sacculo semper ad occasiones Pilliodus deferebat, & longa fuit disputatio. Tandem tamen se conuictum hæreticus confessus non distulit hæresim deponere, & ingenti cumulatâ cõsolatione recessit. Fuit & alius, qui ad curiositatem tantum cum Salesio disputandi desiderium habuit, vt sciret num ea polleret doctrina, qua famosus erat. Venit & disputauit, sed in sua curiositate captus est & conuersus. Denique Virum prouectæ iam ætatis, & magnæ dignationis in sæculo ab atheismo reduxit; interrogatus ab eo quidnam & quinam esset Deus ille de quo tam sæpè sermonem habebat: tanta iecit ex rerum naturis fundamenta, tot ex iis rationum momenta eruit, (aliter enim non conuertuntur impij) tam solidè philosophatus est, indèque ad fidei necessitatem deuenit, vt miser ille cognitâ erroris sui densâ caligine, amarè fleuerit, ac fidem professus, impietatem

pietatem protinus abiecerit, & peccatorum, quæ secum omnia illa trahit, egerit pœnitentiam. Detinebatur circa hæc tempora Sacerdos quidam in carcere, atque is Curio Monchauuetinus Dioecesis Carnutensis, reus actus multorum criminum, cum grauissimo sui honoris dispendio, & vitæ periculum in sententia erat: quapropter desperatione prorsus impia, & quæ animæ damnationem dicebat imprudens ferebatur. Salesius eum inuisit, multis sermonibus est alloquutus, consolatus, ac tandem in spem reduxit, & ad mortem constanter perferendam animauit. Magna erant hæc omnia & tanta, vt omnes in admirationem raperent: neque dici potest quantos fructus toto illo Quadragesimæ tempore Seruus Dei tulerit, siue in publicum verba faciendo, siue confessiones pœnitentium audiendo, siue priuatim colloquendo, sua etiam eximia specie & sancta Maiestate cœlicum hominem spirante virtutis amorem cordibus ingerebat, in quorum beneficiorum gratitudinem pretiosum vasarium argenteum ei Procuratores Ecclesiæ Sancti Andree obtulerunt, verum quod ipse vt Diuioni & Gratianopoli recusauit. Æstate non propterea vacauit à concionibus, quin imò bis, ter & quater aliquando in die, modò hîc, modò illic sermonem habebat, vnde postea notatum est eum tot habuisse Conciones quot dies annus habet dū Lutetiæ fuit. In monasteriis autem præcipuè Virginum multus erat, vt eas vel in obseruatione religiosæ disciplinæ confirmaret, vel si fortè lapsæ essent ad obseruationem reuocaret, præclaris relictis statutis, vt in Sabaudia sanctissimè fecerat. Inter alia in Monasterium se contulit portus Regij Monialium Ordinis sancti Bernardi, ac in Monasterium Vallis vmbrosæ Monialium Ordinis sancti Benedicti, quod duabus leucis Lutetia distat. Necnò in Monasterium Maubuissonense, Monialium etiam ordinis Cisterciensis ad septem circiter Lutetiâ leucas, vbi multorum dierum spatio in stabilienda & confirmanda reformatione tum adhortationibus & colloquiis, cum scriptis impensè laborauit, neque sanè perperam. Refectionem verò capiebat suam in Parthenonis exedra ad colloquia, ac postquam vel prædisset vel cœnasset, eius vesci reliquiis & vti c. utello, orbibus, scutellis, cæterisque huiusmodi mensarij vsus vasis, Abbatissa volebat, quòd eum Sanctum existimaret: siquidem & præter hoc testimonium & linteamina, & tapetes, & sedilia, ipsummet cubile, & cætera qui-

Sacerdotè
in spē re-
ducit.

Franciscus
recusauit
vasarium
argenteum.

Franciscus
Maubuis-
soni.

*Cultus ut
Sanctus
ab omni-
bus.*

*Insolenter
tentatus à
Ministro.*

*Francisci
mansuetu-
do in mo-
destia.*

*Eum Mi-
nistrum
conuertit
proptes.*

bus vir Dei vsus fuit, statim ut venerandas reliquias conseruari in eo statu iussit. Quod idem fiebat Lutetiæ, nam præterquam quòd multi ad eum tangendum accurrebant, multi etiam Ioanni Francisco fratri, & Cubiculariis seruis strophiola & lintea dabant, rogabantque ut dignarentur ea in Sancti Præfulis perulam dum cubaret immittere, vnde postea ex illorum linteorum appositione plurimis ægris reddita est salus. Crines quoque multi à Francisco Fabro qui eius coronam & barbam aptabat, velut reliquias postulabant. Interea tamen quæ Sanctorum est probatio, indignas sæpissimè ab hæreticis aut petulantibus aliis contumelias tolerabat. Philippus Iacobus Palatinatus Rheni nuper Minister, seuro vultu & arroganti specie ad eum accessit, in Anchoritanis ædibus habitantem, postulauitque sibi dari colloquium, concessit benignè Præsul, dataque sunt in cubiculo sedes, & aderat Ioannes Franciscus Salesius: tum ille sic exorsus est atrociter. Et quid hîc agis Domine? Respondit leniter Sanctus. Ego huc veni magni boni pacis causa. Oues verò tuæ, dixit Minister, quomodo nunc se habent cum abes? Ego, respondit Salesius, antequam discederem commisi eas viris idoneis, imò doctioribus me, qui earum curam habeant, & pascant donec reuertar. Perrexit Minister: & Episcopi moderni, interrogauit, sùntne æquè Episcopi, ac Episcopi primitiuae Ecclesiæ? Etiam, respondit Salesius, eandem enim nunc habent authoritatem & dignitatem. Et Episcoporum residentia, inquit Philippus, estne de iure diuino an de humano? Ego, respondit Salesius, eam generaliter loquendo iuris esse diuini existimo. Et Moderni Episcopi, subiecit ille, possuntne patrare miracula æquè ac Diuus Petrus? Quamuis Episcopi, respondit Salesius, non nisi Diui Petri vmbre essent, sæper Diui Petri vmbra miracula faceret. Duarum postea horarum spatio disputatū est, quo elapso, satisfactū sibi inquit Germanus, & gratias agens; Ego, addidit, nō ita pridem Romanā fidem & Religionē amplexatus sum: restabant tamen hæc dubia, & amauit me Deus ut inuenirè te, Domine, cum ea mansuetissima & benigna agèdi ratione, qui tenebras meas optimè fugasti, & soluisti laqueos quibus intricabar, aliter enim cras Charantonium proficiscebar Religionem positurus. Sed iam de sua ad Allobroges suos & Subalpinos profectioe Serenissima Princeps Christina Francica, cuius nuptiæ cum Augusto Principe Victore Amedeo

Amedeo iam à Februario mense celebratę fuerant, cogitabat, quamobrem suam sibi constituere familiam cępit, Salesium autem Gebennęsem Episcopum Eleemosynarium magnum creauit, quod munus sicut cum honore ille accepit, ita nihil ulterius pręter dignitatem habere voluit, nam quidquid honorarię mercedis solitum erat dari, honestissimę recusauit. Dedit & illi Princeps optima pretiosissimum adamantem valoris quingentorum nummorum aestimatum. Latatus est sanę hoc accepto, statimque & hoc munus, inquit, pro pauperibus nostris Aniciensibus bonum erit. Circa hęc tempora natus erat Henrico Sabaudo Nemorosij Duci ex Anna Lotharinga Aumalia filius primogenitus. Sacer Antistes sacro illum lauacro tinxit in Sacello Nemorosiani palatij, & Franciscum appellauit. Octauo Calendas Septembris Diuo Ludouico Francorum Regi festo: rogatus à Patribus Societatis Iesu Domus Professionis Concionem habere, tantam inuenit populorum multitudinem & turbam vndeque redundantem, vt nequaquam per ostium intrare potuerit, sed cum scalis per Chori Ecclesię fenestras ascendere in cathedram fuerit coactus, adeo celebris erat, & adeo ad eius Conciones currebatur. Ferę continuo Augustiniani eum Patres ad Positionum Philosophicarum propugnationem, vt spectatorem Auditorem inuitauerant, & ipse iturum se promiserat. Ante Monasterium plurimi pauperes, vt fit, eleemosynam ab eo petebant, neque tamen propterea velle se erogare significabat, quia putabat carere pecuniā, nihilominus vsque ad medium ferę claustrum prosequutum se ab inopi fœmina importunę sanę videns, manum misit in perulam, & pecuniam inuenit, quam mulieri porrexit: illic ad Marcum Franciscum Malarmæum Lauraium Abbatem Gollensem qui eum comitabatur conuersus; Oportet, inquit, valde ea pecunia fœminam illam indiguisse, quandoquidem misit eam ad me Deus vt illi darem. Totus erat in bonorum operum pro animarum salute, & ad maiorem Dei gloriam exercitio, Pij omnes ad eum tanquam ad oraculum veniebant, & Episcopi vt Patrem venerabantur, primasque ei semper sedes dabant. Theologi suarum difficultatum solutionem inueniebant apud eum. Denique ex tot & tantis laboribus, quos inter hęc exercitia necessariō tolerauit, excidit in grauem morbum, ex quo per multos dies decubuit, & in eo per varia munera

*Franciscus
Sabaudia
magnus
Eleemosy-
narius.*

*Vt concio-
natur
apud Ie-
suitas.*

*Pecuniam
accipit à
Deo ad
eleemosy-
nam.*

Infirmat.

& visitationum officia quantum à Cardinalibus, Episcopis, Principibus, Senatoribus, Aulicis, & Parisiensibus omnibus coleretur & amaretur cognouit. Sanitati restitutus non propterea pepercit sibi, quin imò ad solitos etiam labores rediit: fortè in æde Sotorum suarum Visitationis, quas recens introduxerat, magno labore & virtute magna concionaturus erat, & quamuis ab Hospitio suo multum distaret, iuit tamen pedes. Ut redeundum fuit, præstò erant Dynastæ cuiusdam famuli cum rheda, ut eum reducerent, at ipse oblato officij gratias egit, & recusauit. Pluebat tunc densis imbribus, & multum lutum erat. Quamobrem impatientia subito distractus Sacerdos qui eum sequebatur quidam abstinere non potuit quin hæc eundo verba proferret quasi indignatus. Siquidem congruit nos hoc tempore pluuio ut Magistros in artibus cæno fœdari, & Procuratorum in morem circumcurfare! Audiuit mussationem Salesius, & sereno vultu ad proximum quemdam versus. Vide inquit, Dominus hic adhuc parum vanitatis habet. Quo audito conticuit & pœnituit Sacerdos. Vacauit id temporis per obitum Abbatia sanctæ Genouesæ valoris quatuor millium nummorum, & petenda dumtaxat erat si habere voluisset, nemo non eum ad id impellebat, & amici omnes potentissimis eum rationibus vrgebant, ut ad sustinendum suæ dignitatis honorem Abbatiam illam à Rege proculdubio impertituro postularet: Verùm ille constantissimè recusauit, suis licèt indignantibus, sed & rem fecit maioris virtutis. Sequutus fuerat Regem ad fontem Bellaqueum, & dum fortè spatiaretur in horto Cardinalis eum Retensis Parisiensis Archiepiscopus priuatim sibi adhibuit, rogauitque imò obsecrauit ut Adiuutoris sui munus cum futura successione, & interim opima pensione annua, omnimodaque potestate vastissimam illam Parisiensem Diocesim gubernandi acceptare dignaretur. Et faciam inquit, ut Gebennensis Episcopatus pro fratre tuo Ioanne Francisco sit, nec quidquam omittam quod necessarium videri possit apud Christianissimum Regem, & Serenissimum Ducem Sabaudia, imò pro litteris Apostolicis quidquid oportuerit expendam, & cedit hoc profectò in maiorem Dei gloriam: neque enim ignorare potes quàm ameris à populo illo, & quàm utilis sis futurus, ut es iam maximè. Porrò erit quo me tibi summo perè deuincias. His auditis Salesius tantæ beneuolentiæ gratias quas

*Esse boni
militis.*

*Quam
spernat di-
uitias, &
honores.*

quas potuit maximas egit; sed Cardinali exposuit, ut alibi à tot iam annis addictus esset, ut Gebennensi etiam oneri impar, ut vergeret in senium variisque deinceps morbis esset obnoxius, denique recusavit humillimè, stupentemq; ob tantam virtutem Cardinalè reliquit. Luce posterà cum Fabro Præsidi de propositionibus illis omnibus disserens. Quā gratā mihi rē fecit heri anima mea (inquit) cū eas nō solum non respexit, sed etiam spreuit, & non plaris fecit quā si in puncto mortis fuisset, cū totus mūdus nihil aliud quā fūmus videtur. Verūtamē dicebatur ei, maiora inde bona præstare posses. At videte, respondebat ille. Ego equè me diuitem existimo ac quiuis alius Episcopus in Gallia esse possit: facultates enim meæ licet aliis videantur exiguæ, sufficiunt tamen ad necessitates meas. Qui plus habent, etiam plus expendunt, & ad anni circulum tantum habeo residui quantum illi; dicamus verò cum Apostolo: Sed quæ nobis fuerunt lucra arbitrari debemus propter Christum detrimenta, & propter eminentem scientiam Domini nostri Iesu Christi. Cæterum fastidiebat aulam summoperè elapso iam anno, vnde sic ad Religiosam quamdam Visitationis scripsit. Cū mundanas amplitudines video, contemptum illarum plaris facio, & ampliores mihi videntur Christianæ virtutes. Quanta ac qualis est differentia inter Conuentum hunc diuersorum prætendentium (hoc enim est aula & nihil aliud) & Conuentum animarum religiosarum, quæ nullam nisi in cælum prætensionem habent: O! si sciremus in quo consistit verum bonum! Ne credas, Mater, me ab vilo aulico fauore capi posse. O Deus! desiderabilius est abiectum esse in domo Domini, quā habitare in tabernaculis & palatiis Regum. Annum hūc Aulici Nouitiatus ago, sed iuuante Deo nunquam professionem emittam. Vigilia Natalis Domini in æde Capucinarum concionatus sum coram Regina, vbi Communionem accepit, sed neque meliùs neque amantiùs coram tot Principibus viris & fœminis verba feci, quā in ædicula nostra Visitationis Ancienensis. Hæc ille. Sed tandem ineunte anno millesimo sexcentesimo vigesimo, cum Serenissima Principe rediit magnis honoribus apud Bituriges exceptus, non tamen eam Taurinum vsque comitatus est, sed recedendi in Diocesim suā, à qua plus anno aberat licentiam obtinuit. Lugduni autem cū ageret, Ecce nunciatur ei se à Nobili quodam viro ad Confessio-

*Recusat
Episcopatum
Caro-
siensem.*

*Franciscus
quā mū-
dum sper-
nat & au-
lam.*

*Mors et
iudam
penitentia
actus.*

nem peti, tunc fortè magnis distinebatur negotiis, quamobrem respondit se tantisper impeditum, statim tamen prestò futurum. Urgebat ille rogabatque iudici sibi horam & locum, & addebat eum de anima sua responsurum in die iudicij, si inauditum dimitteret, neque propterea videri volebat quousque confessionis tempus esset, aiebat tantum eam solam ob rem à centum & viginti leucis venisse, vt eum inueniret, vbicumque tandem esset, actumque se eo desiderio ex lectione libri Introductionis ad vitam deuotam. Sacer Antistes his auditis, quid agendum haberet cum suis deliberauit, timebant illi ne fortè proditor aliquis foret aut hæreticus in eius mortem destinatus, illiusque agendi rationem non probabant. Visum est locum optimè assignari posse exedram ad Colloquia Monasterij Visitationis. Ad horam igitur salutauit Episcopum ille, in exedramque intrantem sequutus ianuam clausit vt aperiri minimè posset, tractisque è theca forficibus cordulam campanulæ scidit, ne quis fortè superueniens turbaret eum, tum rogauit vt sederet, moxque genibus flexis generalem peccatorum confessionem fecit per spatium horarum quatuor, quo elapso gratias egit, statimque equum ascendit & nunquam postea visus, neque cognitus est: tantum dixit Salesius eum esse Generalem vnus Religiosi Ordinis. Anicium redux summâ omnium lætitiâ sanctus Pastor, quia tam diu ab Ecclesia sua abfuerat, neque propterea reditibus caruerat, dedit ei ac Canonorum & Sacrarij vsum lampadarii & sex magna candelabra argentea, necnon & multis viris nobilibus suis Clientibus, qui variis eum conuiciis affecerant, eo quod ad iurium Episcopatus tuitionem eos rebelles ad Curiam Supremam Sabaudia trahi iussisset, postquam damnati fuerunt expensas suis licèt reuentibus Administris remisit, & eorum sibi conciliare amicitiam conatus est. At dum hæc sanctè agit in Sabaudia, Lutetia matrimonij cuiusdam occasione de eius fama pessimè detrahitur. Ipse tamen calumnia ventos constantissimè sustinuit, sicque de re tota ad amicum scripsit. Intellego per litteras Lutetia ad ipsam cutem abradi mihi barbam, sed renascetur copiosior quàm vnquam, authore Deo, cum id sua prouidentia iudicabit expedire. Scripsit etiam ad eum qui grauioribus questibus lamentabatur, in hunc modum. Permite Domine, vt de tuis conquerendo questibus, quibus reuerâ crucior & stupore cõficior, animæ

*Francisci
in Ecclesia
sua bene-
ficientia.*

*Crimina-
tionibus
oneratur
Lutetia.
Eius con-
stantia.*

animæ meæ solatium aliquod tribuam. Occasionem horum omnium me tibi dedisse non arbitror. De meritis quidem & egregiis conditionibus necnon & Religione viri illius nobilis, semel & iterum testimonium reddidi. Præterea verò, ad fœdus illud nullam operam adhibui, nisi fortè Deo commendauerim si ad maiorem eius gloriam futurum esset. Quidquid postea dicitur non nisi exaggeratio est. Siquidem cum me absente affectu & promissis sese partes obligassent, interfui postquam redij promissorum illorum quæ coram me renouare voluerant, repetitioni; sed simplici adeò præsentia vt non nisi cum multis aliis ausculta-uerim tacitus. Hæcne officia illis denegare poteram? Vel apud te ea de re non agere, qui sanè non adeò te auersum ostenderas, vt graue illud quo te affici fertur tædium conicere possem. Scribit item ad alium. Tecum autem Domine, ad solatium meum animum explicauit, non quod valde calumniis & conuiciis tangar, quibus ob id afficior: scio enim me coram Deo infontem esse, sed molestè ferò tot erga me turbulentos animorum motus ob negotium ad quod tam parum operatus sum excitari. Qui me cognoscunt probè sciunt me nihil ferè absolutè, & violenter velle, & non nisi ex ignorantia pecco: vellem tam en virorum illorum, mihi conciliare gratiam in fauorem Ministerij mei: si nequeo, non propterea in illo ambulare desinam per infamiam, & bonam famam, vt seductor & verax, neque vitam, neque existimationem volo, nisi quantam volet me habere Deus, & nimiam semper habebò secundum merita mea. Et sic denique ad Fremiotam scripsit. Ventos istos contrarios omnes Altissimi prouidentia commisi, flent aut desinant vt ei placebit; tempestas & malicia indifferentes sunt mihi. Nuper cum in sacrificio Diuum Iosephum nominarem, recordatus sum supremæ illius moderationis, qua vsus est cum sponsam suam grauidam vidit, quam virginem crediderat, vt reuera erat. Quamobrem mentem & linguam Dominorum illorum ei commendauit, vt & illis modicum suæ mansuetudinis & benignitatis impetraret; & statim cogitauit mecum ipse, in tanta anxietate Virginem ne verbum quidem dixisse, minimè turbatam fuisse, & Diuina eam prouidentia liberauit. Commisi ergo totum hoc negotium ei, & vti curam haberet deprecatus sum, si quis enim se opponat fluctibus, quod lucrum præter spumam reportabit? O: rogo ne sis adeò mei cau-

Franciscæ
humilitas
sâ

sã tenera, volendum est, vti reprehendamus. Si non mereor vno modo, mereor alio. Mater illius qui æterna merebatur adorationem, ne minimum quidem verbum protulit cum opprobriis & ignominiiis operiebatur. Patientibus & mitibus cœlum & terra dantur. Nimis delicata es in iis quæ ad me spectant. In hoc ergo mundo ab impugnationibus ero solus immunis? Mane in pace, & Deus pacis manebit in te. Numquid multum est philautiæ velle amari ab omnibus, & omnia cedere nobis in gloriam. Profectò nihil adeò hac in re me affecit, ac affectam te cernere? O sit in æternum honor noster, gloria nostra, amor noster Iesus Christus. Sic ferebat opprobria Salesius, & sic Christum imitabatur, pascendo interim gregi suo, solito Diuini verbi melle, intensissimus. Venerat circa hæc tempora Eremiticæ vitæ multum auidus Antonius Rigaudus Salyus Foroiulienfis qui multas terras peragrauerat, fueratque aliquando sub Comite Fuentesio Mediolanensi Prorege Militum præfectus, postmodumque eiusdem à Secretis, vir profundissimæ doctrinæ & longa experientia maturus, multarum linguarum, Latinæ autem, Galliæ, Italicæ, Hispanicæ, & Germanicæ peritiâ celebris. Is ex Ioannis Vernaij Sacerdotis & Heremite Vorionensis enarratione, quanta esset gloriosissimæ Virginis Deiparæ in Vorionis monte apud Caballianos & Falcinates dignatio, quantaque loci ad solitariam vitam commoditas & aptitudo, acceperat: quamobrem accessit ad Salesium Gebennensem Episcopum viuédique in ea eremo facultatem postulatit. Et consensit Salesius; verumtamen quia nullis hucusque peculiaris instituti constitutionibus Eremitæ qui Vorionem coluerant addicti fuerant, necessarium visum est Sancto Præsuli eos sub vna regula dirigere, vt non amplius vagarentur ad libitum, & vt cultus in eo monte Deiparæ Virgini à populis exhiberi solitus ex eorum religiosa & exemplari vita augetetur; capto igitur consilio in eam rem animum adiecit. Vorion mons est altissimus, qui Caballianos à Falcinatibus diuidit, ad Orientalem Geneuæ aspectum, & Occidentalem Lausannæ, ex ea parte quæ Septentrionem videt, subditos habet sibi amœnissimos tractus; Magnum Lacum Lemani, remotos ad proportionatam distantiam Sequanorum, & Heluetiorum montes cœruleis vmbriis distinctos, vrbes & agros Geneuæ, Gexi, Versutij, Cuppeti, Niuiduni, Rotuli, Albonæ, Morgarum, Lausannæ, Ripalliæ, Tononi,

*Antonius
Rigaudus
Eremita
Vorionensis.*

*Vorionis
montis descriptio.*

Tononi, Allingiorum, Hermantix, & innumeros pagos, templa, castra, fluuios, stagna, nemora, prata, vineas, colles, vias, & huiusmodi cætera tanta tamq; oculis grata varietate, vt nihil orbe toto pulchrius. Ex parte verò quæ meridiem aspicit, subditos etiam habet sibi Falcinij montes, horrore subito, ad Campum munitum æternâ glacie & niue concretos, vnde vertentis sese modò in hanc, modò in illam partem oculus mirè recreatur, populi montem istum pulchrum & sanctum vocant, nihil habet quod oculum lædat, diffusum est ad eius pedes Bonnæ oppidum, nec non & pagi Cranuesiensis, Salesiensis, Lucingiensis, Sanciricianus, Machilliacensis, Greziacensis, Langinensis, Brentinus, Sandesiderianus, Bontinus, Saffellensis, Burdigniensis, Villariensis, & Boëgiensis. Vineta radices eius tegunt; veniunt secundo ordine castaneæ, prata innumera & villæ, in quibus æstate multi Pastores multum pecus pascunt, multaque conficiunt lacticia medium tenent, vastissimo demum prægrandium abietum, & fagorum labyrintho vtilissimè coronatur. Fertur vnanimi omnium voce, Idolum quoddam in eo fuisse mōte, magnâ ab Ethnicis superstitione adoratū tandemque destructum & effractum ab Episcopis Gebēnensibus, Gundesili Burgundionū Regis tempore, cum Allobroges Christianā omninò fidem sunt amplexati, restauisse tamē in cacumine dæmonem, qui sub figura terribilis apri sæuiebat in eos qui montē ascendebant, quamobrem ascendere deinceps audebat nemo, nisi fortè veneficus esset, aut iniisset cum Diabolo pactum. Castrum habebat ad medium ferè montis Dynasta Langinius, cuius etiamnum hodie præalta turris & macerix restant. Is aliquando venationis causa increpatis aliis de pusillanimitate, non dubitauit paucis secum tractis ascendere, verum cum in vertice ferè esset, ecce fera terribilis in eum irruit, & frustra venabula omnia fuere miseris, adornauerunt celerimè fugam focij, & solus restauit inter apri dentes Langinus adeò laniatus, vt parum abfuerit quin efflauerit animam, reliquit tamen eum fera. Tunc temeritatem suam damnans Deiparæ Virginis implorauit auxilium, addito voto, vt si conualesceret, occidique vel fugari fera posset, sacellum in eius honorem eodem loco construeret. Et adfuit statim Virgo penè exanimi, adeò vt in suum Castrum redire potuerit. Sed dum cogitat de voto reddendo & extruendo sacello, non modica difficultas

*Religionis
in Vorione
historia &
antiquitas.*

fuit, neminem enim inueniebat qui vellet opus aggredi, adeò iustus omnes terror tenebat; tandem accessit ad Gebennensem Episcopum si posset exorcismis abigi Diabolus, nam naturalis aper minimè esse credebatur. Episcopus piissimum Sacerdotem & expertum Exorcistam misit, qui perlustrato monte ad tertium vsque diem, & peractis sacris ceremoniis retulit nihil timendum esse. Itaque Langinius adhibuit statim operi manum, sacellumque construxit; sed & plus fecit, nam mundum fastidians, & omnia præter Deum vana esse videns, sacello cellulam adiunxit, adhibitoque fecum socio ibi sub Antistitis autoritate Eremiticam vitam professus est, multa reliquit sacra Virgini condito testamento, quibus Bontinum Curionem ad multa sacrificia, cum ex tempestate liceret, obligauit: ac tandem sanctimoniâ clarus migravit in cœlum, magno suarum virtutum odore relicto. Eo vitâ functo non tamen mansit inculta Eremus, nam suscitauit pios homines Deus, qui Diuæ Virgini iugiter famulati sunt magno fidelium gaudio, qui votorum reddendorum ergò illuc multi peregrinabantur: siquidem gloriosa Dei mater Vorionensis inuocata multa deinceps edidit miracula, & creuit religio quousque hæresum peste infecti Bernates Caballium occuparunt, per ea enim tempora destructum est penitus Sacellum & deturbati lapides, ita vt modicæ tantum restarent maceræ, dissipati huc & illuc Eremitæ, sacra omnia in prophanos vsus versa, & perditæ foundationum & possessionum chartæ. Sed miraculo sacra Dei paræ statua lignea conseruata est. Ioannes Burgnardus Brentinus, Hæreticorum Bernatum qui Vorionis sacellum destruxerunt ductor impius statuam primus abstulerat, ligatamque huc & illuc, ignominiosè pertrahebat descendens, addebátque hæc verba sacrilega: O fusca si tantum potestatis habes quantum fertur, cur te finis sic trahi? Ostende nunc potestatem tuam, & ecce sterit statua quam ponè raptabat. Vertit ille caput vt videret quidnam impediret, & statim sic inflexo remansit capite, nec non armo & brachio mutilus prorsus, adeò vt statuam liquerit, verumtamen cum non pœniteret miser, sic captus non multò post ad multorum conspectum, inprimis autem Michaëlis Nouelli & Claudij Hyppoliti Cortagerij Bontinorum qui miraculi conscij erant in hæresi miserrimè clausit diem, iusto sanè Dei iudicio, statuam verò repperit paulò post Pius Sacerdos & Ordinis

*Miraculū
Dei paræ
Virginis.*

nis Diui Augustini Eremita Franciscus Monodius, qui Diuinâ inspiratione ductus, obtentâ ab Episcopo facultate, & ab Alexandro Monuaguardio Boëgij Dynasta, in cuius ditione partim Vorion est, sacellum vtcunque ex maceriis & lignis restructit, Eremumque incoluit, Hæreticis licet freudentibus, qui Religionem impedire conabantur, sed frustra: nam Falcinates Catholici diebus solemnibus cum armis in montem ascendebant & Eremitam seu Curiones sacra facientes impavidè tuebantur. Vitâ functo Monodio successere Ioânes Vernayus Sacerdos, & Ioannes Grillietus, & Vernayus quidem Romam petiit, retulitque ab Apostolica Sede Indulgentias pro Christi fidelibus sacellum certis diebus visitaturis. Quo tempore in Antonium Rigaudum incidit. Is igitur Rigaudus annuentibus imò & secum iunctis Vernayo & Grillieto dari sibi Regulam & Constitutiones ab Antistite Salesio auidissimè petiit. Quamobrem in Dicecesana Synodo Anicij anno millesimo sexcentesimo vigesimo habita comparere iussus, has à sancto Præsule Constitutiones accepit. Quoniam sancta, celebris & antiqua montis Vorionis Eremus, sub vocabulo Visitationis Beatissimæ Mariæ Virginis fundata est, Anachoretæ qui in ea deinceps viuent, vt Patronos specialiter inuocabunt ab Redemptore nostro Iesu Christo, Magni Consilij Angelo, ac Mediatore Dei & hominum, Sanctos qui in mysterio Visitationis reperiuntur, scilicet ipsam gloriosissimam Virginem Mariam Matrem Dei, Diuû Iosephum, Diuum Ioannem Baptistam Eremitarum Patriarcham, Diuum Zachariam, & Diuam Elizabetham. Deinde Beatos omnes Angelos, & specialiter chorum Principatum, denique Diuum Paulum primum Eremitam, Diuum Antonium, & Diuum Hilarionem. Anachoretæ vestientur oblongâ togâ ex panno albo, pallio in modo suppari super togam, & epomide super pallium cum rotundo cucullo, poterunt vti linteis ob munditiam nisi in lecto super quem vestiti cubabunt togâ depositâ, nisi fortè madefacti vel ægri essent, tunc enim exuti quiescere poterunt, & quia rigidissima hęcins est, ascensusque & descensus difficillimi, idcirco Anachoretæ erunt calceari. Ieiunium obseruabunt præter dies ab Ecclesia statutos omnibus & singulis Patronorum vigiliis, toto Dominici Aduentus tempore, & à die Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis exclusiuè, ad diem Natiuitatis eius, etiam exclu-

*Franciscus
Anachore-
tis Vorio-
nensibus
Constitu-
tiones dat.*

suè. Præterea singulis diebus Veneris per annum in memoriam
 Passionis Dominicæ, & abstinebūt à carne singulis diebus Mer-
 curij. Anachoretæ singulis diebus Veneris post orationem ma-
 tutinam donec recitabitur pœnitentiæ Dauidicæ psalmus, qui
 quinquagesimus est, scuticam excipiet, nisi cilicinum thoracem
 diebus in hebdomada tribus deferre, aut ieiunium diebus Vene-
 ris & Sabbathi obseruare malint. Anachoretæ prandium & cœ-
 nam semper in communi triclinio fument, culpamque suam di-
 cent: si in re graui deliquerint, scuticam coram fratribus exci-
 pient. Qui verò pridie vel eo die montem ascenderit, aut è mes-
 sibus, & vindemiis venerint, aut etiam hyemis tempore à lege
 hac eximuntur, & quiescere poterunt. Anachoretæ Sacerdotes,
 vel qui scient legere, & sermonem Latinum intelligere, ma-
 gnum officium Romani Breuiarij recitabunt. Laici verò fratres,
 & qui nescient legere, recitabunt rosarium ad Vrsullinarum imi-
 tationem, addentes nouem Orationes Dominicæ, & nouem sa-
 lutationes Angelicas in honorem nouem chororum Angelico-
 rum. Porrò Anachoretæ in persoluendo Diuino Officio hunc
 ordinem obseruabunt. Aedituus quouis tempore horâ quartâ
 matutinâ dabit campanæ signum, quo dato expergefaiet fra-
 tres, & elapsâ semihorâ dabit secundum, & vltimum signum ad
 Officiu, fratres laici intererunt matutinis precibus genibus fle-
 xis vsque ad finem primi psalmi, deinde egredi poterunt si lube-
 bit ad recitandum rosarium, aut orationes alias, minimè autem
 colloquentur: sed postquam aedituus ad lectionem Martyrologij
 dederit alterum campanæ signum, redibunt omnes in chorum
 ad Orationem mentalem, quæ semihoræ spatio durabit, nisi ad-
 esset aliqua vrgens causa, & inchoabitur à Litaniis Sanctorum.
 Absolutâ oratione hyemali tempore fratres accedent ad ignem,
 & calefient, semihoræ item spatio, tum ad sua negotia recedent.
 Primum sacrum celebrabitur horâ sextâ continuando vsque ad
 Meridiem, cum multi Sacerdotes erunt: cum autem non nisi tres
 aut quatuor, celebrabitur primum horâ septimâ; secundum ho-
 râ octauâ, tertium horâ nonâ, & quartum horâ decimâ. Mini-
 strabunt fratres alternis vicibus, si fieri potest. Æstate & magna-
 rum solemnitatum peruigiliis cum populus luce posterâ abun-
 dare solet, & propterea audiendis confessionibus vacandum est.
 Sacerdotes ab hora octaua ferotina ad nonam matutinarum
 precum

precum pensum persoluent, manè deinde preces horariæ continuò recitabuntur. Cùm tamen nihil vrgebit recitabuntur horâ nonâ tertianæ & sextanæ preces. Nonæ verò ad meridiem. Vesperæ horâ tertiâ, & Completorium sextâ. Ad Canticum Simeonis ædituus dabit campanæ signum, & conuenient vt manè ad Orationem mentalem fratres laici. Incipietur autem ab Litanis Beatissimæ Mariæ Virginis. Singulis diebus Sabbathi Anachoretæ post cœnam cantabunt in choro ante Virginis imaginem gaudiorum eius hymnum: deinde in suas cellulas recedent, vel accedent ad ignem si hyems est. Quod si aliquando non sufficerent ad cantandum, tunc si qui remansit Sacerdos est, recitabit altâ voce Litanias Sanctorum. Si Frater Laicus recitabit Litanias Beatæ Virginis, quæ vt minimum nunquam omittentur, & quas omnes probè scire tenebuntur. Diebus ferialibus, & quibus licebit operari, Anachoretæ post gratiarum actionem prandij ibunt in chorum recitatum Litanias Sancti Michaëlis & Sanctorum Angelorum, cum commemoratione Sancti Pauli, Sancti Antonij, sancti Hilarionis, sanctæ triumphantis Ecclesiæ, & addent pro militante Orationem Diui Augustini, quæ eius meditationum capite quadragesimo reperitur. Anachoretæ sua peccata cõfitebuntur singulis diebus Dominicis, & festis solemnibus, sumèntque Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum. Sacerdotes diebus singulis celebrare conabuntur. Anachoretæ obseruabunt omninò silentium, nisi ex necessitate aut vrbanitate, & tunc aduertent ne quid nimis proferant: hospitalitatem maximè cordi habebunt, & specialem peregrinorum omnium curam, necessaria omnia eis comiter ministrando, sub æquis tamen Oeconomicæ præceptis. Anachoretæ non egredientur è cellulis suis nisi pro diuinorum officiorum celebratione, ad campanæ sonum, aut cùm ex necessitate, & causa aliqua vocabuntur, vel cum Reuerendus Pater Superior deambulandi facultatem faciet. Anachoretæ extra Eremum negotiis addicti vitabunt omninò quidquid scandali vel minimam speciem parere potest, & quantum erit possibile ordini in Eremo obseruari solito sese conformabunt: cùmque reuersi fuerint, quidquid receperint, adhibito Sacramento se non plus recepisse deponent. Ad recipiendum aliquem Anachoretam, elapso probationis tempore, necessarius erit omnium Fratrum consensus. Domi-

ni Superuigilis sententia & iudicium, vel iussus Episcopi, nec vllus pariter absque huiusmodi cautionibus eiicietur. Quisquis solitaria omnimoda vitæ addici voluerit, sufficientemque siue pensionem, siue quemuis alium redditum Communitati remiserit, à collectione stipis eximetur, & si aliquando sufficienter ditata posset esse Communitas, Anachoretæ prorsus meditationi & peregrinorum exceptioni vacarent. Parebunt vni Superiori qui fit Anachorera, ab Episcopo specialiter constitutus; habebit autem is eandem potestatem & authoritatem, quam in Religiosis ordinibus probè institutis Superiores omnes habere solent. Quod si aliquando iniquus fratribus foret, tunc de omnibus absque strepitu & figura iudicij, iudex erit Episcopus, cui Anachoretæ omnes, non secus ac Curiones, obedientiam debent & reuerentiam, idcirco tenebuntur Diocesanis Synodis quotannis interesse, nihilque quod alicuius possit esse momenti absque Superuigilis sententia & Episcopi approbatione decernent: & Episcopo Constitutionibus addendi, detrahendi, corrigendi, immutandi, & explicandi omnimoda potestas reseruata esto. Curauit porro Sanctus Legislatores has Constitutiones in Synodo auscultantibus omnibus legi, & ab eruditissimis Theologis Petro Francisco Iayo Canonico Pœnitentiario, & Ecclesiaste Cathedralis Ecclesiæ Gebennensis, & Petro Magnino Canonico & Sacrarij Præfecto Collegialis Ecclesiæ Aniciensis approbari, tādēque Anachoretarum omnium professionem simplicem, vt aiunt, ab Antistite constitutus Superuigil. Ioannes Ludouicus Questanus Cathedralis item Ecclesiæ Canonicus & Doctor Theologus recepit. Per hæc tempora, quæ Paschalia erant, diebus Dominicis Magnus Antistes Anienti populo suo præcepta Decalogi explicabat è pulpito in sua Cathedrali Ecclesia, & aliquando cum de primo præcepto mirabiliter disseruisset, tandem Concionem claudens, & ad Deum Patrem verba sua conuertens, visus est ab vniuerso populo tota radiare facie, tantoque splendore vndique circumfusus, vt vix præ nimio lumine videri distinctè posset. Eximij autem eius rei testes sunt quotquot tunc aderant, & imprimis Petrus Franciscus Iayus Canonicus Theologus, Ioannes Ludouicus Questanus Canonicus item & Theologus, Petrus Pagetus Curio Siuriacensis, Franciscus Nyeuræus Curio Metentensis, & Sergius Sagerus Ciuis & in Gebennesiani Consilij Curia

*Franciscus
ore toto
radians.*

ria Libellio. Perrexit etiam Christiana erga pauperes & afflictos liberalitate insignem sese reddere: pauperi puellæ Marci Vicani Bibliopolæ Tononensis, quem olim Geneua traxerat filia, Franciscæ ei nomen erat, postquam eam diu tum Anicij cum Salesij aluisset, tandem nubili quingentos florenos pro dote dedit. Captiuum esse apud Turcas Equitem Melitensem ex familia Nobili Ceresiera cum intellexisset, eius fratri quò facilius redimi à Barbaris illis posset, omnem suam argenteam supellectilē promptè & sponte obtulit, largitusque proculdubio fuisset, nisi statim eundem vitam cum morte commutasse accepisset. Posthæc ob vrgentia nonnulla negotia Tononum perrexit, & Dominicâ Pentecostes celebrato Vespertinarum precum Officio quingentis & amplius hominibus Confirmationis cõtulit Sacramentum, non mora cum omnia vt decebat composuisset, Anicium rediit, ac in ædibus Premerianis Renati Fabri Valbonij Præsidis Gebennesiani tantisper immoratus, soleimne patrauit miraculum. A multis iam diebus agitabatur tantâ tamque dirâ rabie Franciscus Bouuardus Petri filius, Pringiacensis Claudij Baronis Montouij feruus, vt per agros & nemora huc & illuc cum horrendis clamoribus & vlulatibus cursitaret, nec die, nec nocte quiescere poterat, arbores quoque & muros capite tundebat, miserabili prorsus omnium intuitu. Aliquando tandem in Domini sui domum reuersus, intelligensque sacrum Antistitem Premeriaci agere, desiderio captus est eum videndi, quamobrem Iacobum Priereum Camberiensis Montouij Curialem enixè rogauit, vt ad eum ducere vellet. Priereus fecit officium, & Amentem vt potuit Premeriacum conduxit, ac surgenti è prandio Præsuli præsentauit. Sacer Antistes delinuit eum blanditiis, secumque per aulam deambulare iussit, postmodumque capillos eius arripiens fortiter traxit, quo momento abigi à se furorem sensit miser, & continuo sanatus est præsentibus ipso Præside Valbonio, Ioanne Iolyo Rupensi Aleriaco Sabaudienfis Senatus Equite, & quamplurimis aliis qui laudauerunt Deum cœli & terræ, ob manifestum miraculum. Salesius verò benedictione sacrâ miserum impertitus, vade, inquit, time Deum, & benè labora, tum ad Priereum conuersus. Cura, ait, vt occupetur, & sanus est. Abierunt igitur Priereus & ille qui ipsa eadem die domesticis rebus, vt solebat, sedulam nauare operam cœpit. Anicij cum esset bo-

nus

*Francisci
charitas
in paup-
res.*

*Franciscus
miraculo
furibundæ
sanat.*

*Franciscus
reuelatio
nē habet.*

*Amentem
subitō sa-
nat.*

*Francisci
laudes à
Boucardo.*

nut Præsul mense Iulio, narratum est Matronam Nobilem Iacobinam Achardiam Berbæi Dominam apud Falcinates agere animam, ille quia multum eam ex affinitate & egregiis virtutibus colebat, Deum oraturus accessit ad altare, tum rediens, Ludouico Gebenensi Sacerdoti, & Carolo Ballo Castellano suo Viuuenfi; Minimè ait, morietur Domina Berbæa, ego eam petij à Domino; & notatum est postea eadem horâ conualuisse, quâ hæc verba Anicij Salesius proferebat: quas etiam circa tempestates ductus ab vltimis Tarentasiæ partibus Rusticus quidam, & apud Huguoniam Fonteuuanam Catharini Goddeti Ciuis Aniciensis Coniugem hospitio exceptus, à diâ rabie & mania, tactus, & benedictione donatus illicò liberatus est. Quinque iam annorum spatio Claudium Boucardum Virduensem Antistes piissimus suis sumptibus quippe data quotannis trecentorum & quinquaginta florenorum pensione aluerat, cuius beneficij Boucardus ipse cum gratias quas poterat habere vellet, tractatum suum peripateticum de anima rationali ad veritatem theologiam accommodatum, opus sanè præclarum tertio Nonas Augusti dedicauit, miratus cum omnibus virtutum omnium in tanto Præsule splendorem eximium, cum sibi videre licuerit, inquit, ex frequenti consuetudine singularem eius animi lenitatem, placidissimam morum æquabilitatem, suauissimam affabilitatem, generosam & verè Christianam animi submissionem, in rebus gerendis eximiam prudentiam, laborem assiduam, incredibilem diligentiam, singulis diebus rem sacram facere, Dominicis & festis pœnitentium Confessiones audire, Conciones sacras tum publicè ad vniuersum populum, tum priuatim in ædibus sacrarum Virginum frequentissimè habere, popularium Nobilium, ignobilium, & omnium sine discrimine lites componere, dissensiones sedare, iniurias mitigare: ad hæc, eos qui ab Ecclesia Catholica alieni erant, ad rectum salutis tramitem ingrediendum inuitare, venientes benignè suscipere, & omni diligētia instruere: pupillorum, viduarum, aduenarum inopiam largis eleemosynis subleuare, ægrotos visitare, ad multam noctem litteras dictare ac scribere, & amplissimæ Diœcesis necessitatibus prospicere. Hæc eruditissimus Boucardus. Salesius verò exeunte Septembri dum nonnullas lustrat Ecclesias, Dynastam Scriuieuium Baronis Rupifortij filium inuisit. Cùmque aliquando cum eius Coniuge

Coniuge sermonibus variis, vt fit, occuparetur, ærumnosam illa querelam contexit, quod tandiu careret liberis: rogauitque vt Deum idcirco orare dignaretur. Pontifex lubens annuit eademque horâ ad offerendum Deo sacrificium perrexit, & intellexit Diuinam Maiestatem fore piæ mulieris votis propitiam: quare exacto sacro, Dominam illam sibi priuatim adhibens, Age gratias Deo (inquit) filia, exaudiuit preces tuas, & antequam exeat annus, paries filium. Quod omnino fœliciter euenit. Vix reuersus Anicium erat, cum à Sixensibus magnis precibus vocatus est: ineunte igitur Nouembri Michaële Bouardo, & Petro Spinano Iurifconsultis grauissimis sociatus viam iniit, ac vbi appulit, vidit quàm ad Religiosorum illorum consolationem necessarius esset, quidam enim qui præclare in tuendis Communitatis iuribus aduersus Abbatem egerant, opus habebant animo, & quidam qui pusillanimitè defecerant reducendi erant: ipse autem omnia mirè operatus est. Nam lites omnes & controuersias quæ grauissimæ exarserant extinxit, & omnium animos cõciliauit. Duos vel tres Religiosos ad Communionem reduxit, ab aliis promisso obtinuit vt nunquam de desertione sermo futurus esset. Iacobum Mouxiacum Abbatem adeo sibi deuinxit, vt non mora in hæc ille verba proruperit quæ postea sæpissimè repetiit. Domine, animam meam & bona omnia mea in manus tuas proiicio. plus à Sancto Præsule factum est: nam eundem Abbatem senem valde ad generalem peccatorum confessionem disposuit, quam variis adhibitis interuallis audiuit, necnon eius obitum Humberto Mouxiaco Abbati electo prædixit, non superabit patruus tuus, inquit, tempus sequentis Lunæ, & dies erat decimus octauus calendas Decembris. Postremò magna cum reuerentia sepulchrum Beati Pontij Abbatis primi Sixensis aperuit ianuis clausis, dumque vnum ex eius ossibus teneret tantisper eleuans, ecce inquit, os Magni viri, qui multum pro Domino nostro Iesu Christo & eius Ecclesia laborauit, quod sanè effatum prophético spiritui tributum est. Quotus enim ille Abbas esset hæctenus ignorabatur, & primum fuisse statim repertum est, neque fieri potuit quin multos labores in fundando eo Monasterio, & ad religiosæ disciplinæ normam erigendo, vt principia omnia difficillima sunt, in loco præsertim tam scabro & aspero tolerarit, & virum fuisse magnæ virtutis oportuit, qui ex Abba-

*Franciscus
Nobilis fa-
mina filii
à Deo ob-
tinet.*

*Franciscus
omnia Si-
xij pacat.*

*Sepulchrū
B. Pontij
aperit. E-
ius notitia.*

KKK

tia Abundantiana, in qua diu religiosissimè vixerat, trāitatus, dignus visus est qui nouo Religiosorum examini præesset, tantòque maior quantò ad baiulandam crucem Domini mundum & amplissimos honores contempserat, cum Arduij Gebennensis Episcopi & Principis Patruus & Aymonis Falcinij Baronis frater esset. Præterea Salesius digitum tanti Abbatis reportauit, & lamentatus est quod huc vsque nullus eius vitam & miracula scripto reliquisset, eam esse temporum illorum miseriam inquiring, adeò vt nisi ex antiquis aliquot chartis in rerum domesticarum auctoritatem, vt fit, exaratis, nihil certi constare possit. Ad aperturam autem sepulchri Vir quidam ab anno iam magnis detentus febribus qui fortè aderat, imploratâ Beati Abbatis apud Deū intercessione subitò sanatus est. Consolatione recessit plenus sacer Pontifex quòd optimè suos Sixenses composuisset. Verumtamen vt rediit, grauis eum ob cuiusdam viri Ecclesiastici & Nobilis quem diu beneficiis omnibus fuerat prosequutus, lapsum in hæresim & in Angliam recessum, dolor incessit. Vnde ad fratrem suum Ioannem Franciscum Taurinum scribens: O Deus, inquit, quot dolores animæ meæ! planè nō memini me vnquam tantâ cum molestia attonitum fuisse! Ac tandem post multa in Anglicanam hæresim & schisma argumenta quibus perturbationem animi sui fatis superque indicabat, subiungit. Peculiarem habeo in amplam illam insulam & eius Regem propensionem, & non desino pro eius conuersione diuinam exorare Maiestatem, cum ea quoque fidentia vt aliquando meas & tot bonorum preces Deus sit exauditurus: iam maiori cum ardore in animæ illius considerationem orabo. O frater charissime: beati veri sacrosanctæ Ecclesiæ filij, in qua filij Dei omnes obierunt: palpitat assidue & præter morem cor meum huius lapsus causa, & nouum habeo animum melius deinceps Ecclesiæ viuientis Dei, & Ecclesiæ viuenti Deo inseruendi. Interea festinus venit Sixo tabellarius nuntians morti proximum esse Abbatem, & suum iterum videre Episcopum, cum eoque de animæ suæ salute conferre auidissimè peroptare. Agebatur iam December, & hyems rigidissimè sæuiebat, nec locus quisquam ab altissimis niuibus & glacie immunis erat; Nihilominus Salesius statim duorum dierum iter quo Abbati illi subueniret confecit, peccata confitentem audiuit, salutare purgato porrexit Viaticum, & morientis vti prædixe-

rat

*Franciscus
quàm ob
lapsum eu-
iusdam in
hæresim
conficta-
tus.*

*Franciscus
Abbatem
Sixensem
moribundū
reuat.*

erat animam Deo commendauit quinto idus Decembris: tum reuerfus est. Anno quoque ineunte supra millesimum sexcentesimo vigesimo primo multa Anicij patrauit miracula. Cum aliquãdo Visitationis æde in qua sacrum fecerat egrederetur, ecce accurrit ad eum foemina quæ malè à cacodæmone torquebatur, eiusque opem implorauit, ipse eam tetigit, subleuauit ac compressit necnon benedictione est impertitus, & subito liberata est, immundo spiritu non sine omnium horrore egresso, & volauit ab oculatis miraculi testibus per vniuersam fama Ciuitatem. Possessam item Ludouicam Ripanam Crusiliacensem, quæ horrenda prorsus patrabat per manus super caput impositionem subito liberauit, necnon peccata sua plangentem audiuit, & tranquillam dimisit. Ægrum à Medicis derelictum cum inuississet, salutaribusque de rebus diuinis alloquiis occupasset, tum demum discedentis æger implorauit auxilium & preces, necnon eius orã suppari deosculatus est, & sanitatem recuperauit. His pendentibus venit Ioannes Franciscus Salesius, sancti sui fratris cum futura successione Adintor, & Episcopus Calcedonenfis, qui ex Serenissimorum Principum votis decimo sexto Calendas Februarij Diuo Antonio Abbati festo Augustæ Taurinorum Cõsecrationis munus susceperat, Sanctus Gebennensis Antistes, nox quamuis atra iam ingruisset obuiam processit ei ad vrbis vsque portam Lapidinam, & sequentibus tribus diebus dexteram & prærogatiuam concessit, populum suum exemplo docens honorem qui sacris debetur præsulibus: eum deinceps de omnibus quæ ad munus pastorale spectabant seriò & sedulò instruxit, ac coram se voluit vt sacros Ordines celebraret, consecraret altaria, & huiusmodi alia, quo deinceps posset ipse maiori cum tranquillitate librorum vacare compositioni. Circiter hos dies sex hebdomadarum spatio Philippum Iacobum eundem hominem Germanum, qui tam insolentibus eum verbis Lutetiæ in Anchoritanis ædibus fuerat aggressus, cum eius vxore ad extremam redactum paupertatem redeuntem ex Italia in hospitio publico aluit, nullo beneficiorum genere omisso, & discedenti amplam præterea stipem erogauit, adeò misericors, mansuetus & Sanctus erat. Æstate à Claudio Ludouico Nicolao Coësis Priore Talloriensi & Religiosis rogatus, cum Adiutore suo Calcedonensi Antistite, Tallorias, ac in Diui Germani Eremum se con-

*Possessam à
Dæmone
liberat.*

*Ægrum
desperatū
sanat.*

*Adiutorem
suum in-
struit.*

*Transfert
oſſa B. Ger-
mani.*

Predicit.

*Franciſcus
de ſolitudi-
ne cogitat.*

*B. Germa-
ni Elogiũ.*

tulit, Coëſio iam pridem author fuerat vt ad reponendas ſancti Reliquias, quæ in medio ædis ſacræ iacebāt, altare maius in eam rem aptum erigeret, & paruerat Coëſius, igitur vt ad ſacellum deuentum eſt ſacrorum rituum ſolemnitatem Adiutori Sanctus Pontifex ceſſit, ipſeque interim immotus fixis in capulum oculis, raptò in Ecſtaſim ſimilis hærebat, quouſque exactis cœremo- niis ſandapilam ipſe aperuit, populo Sanctas reliquias oſtendit, roſaria ad eas tangendas omnium accepit, tum oſſa omnia & ci- neres in nouam ciſtam in eam rem ornatam immiſit, & compo- ſuit, nec non impoſito humeris ſuis vnà cum fratre, ſacro illo onere; ad ſolemne circum Eccleſiam & domum ſupplicationē lachrymis terram illam aſſiduè rigans proceſſit, demumque fer- uentiſſimam ad populum adhortationem habuit. Denſiſſimæ & atræ nubes cœlum tunc tegebant, & ab omnibus etiam loci in- colis, qui ex obſeruationibus minimè ſe falli poſſe putant, ingen- tes pluuiæ expectabantur. Verùm ille leuatis oculis, minimè, in- quit, pluet, & ferè ſtatim magna ſerenitas illuxit. Mirabatur Ere- mi illius pulchritudinem, Coëſioque eam laudans abſtinere non potuit quin animum ſuum aperiret. Statutum eſt, inquit, quan- doquidem Adiutorem habeo, ſi ex Sereniſſimorum noſtrorum Principum voluntate fieri poterit, huc veniam: hæc requies mea, hîc habitabo quoniam elegi eam, ſtatim fenestram illam quæ ſep- trentrionem videt, aperiens, Lacumque & Aniciensem tractum reſpiciens, O Deus, inquit, quàm bonum eſt & quàm iucundum nos hîc eſſe, prorsus relinquendum eſt Adiutori noſtro pondus diei & ætus, interim dum nos hîc roſario noſtro & calamo Deo & eius Eccleſiæ ſeruiemus, Et ſcis? Pater Prior (ait ad Coëſium iterum conuerſus) caderent in nos conceptus non ſecus ac hye- mæ denſæ cadunt niues. A prandio deſcendit de monte pedes, quamuis equus aſſeſſet, nec mora vt in oppidum ac Monasteriũ appulit, nullo penè capto quiſcendi ſpatio, in parœcialis Eccle- ſiæ Cathedram aſcendit, & ad populum Concionem habuit de laudibus Beati Germani, de cultu & veneratione Sanctorum, de modo quo in primitiua Eccleſia Serui Dei in Sanctorum nume- rum referebantur. De ſtatutis poſteà ab Eccleſia factis, & quàm æqua & rationi conſentanea eſſent. Denique de honore & cultu ſpeciali qui Diuo Germano deberetur. Siquidè Beatus ille Ger- manus Vir fuit, in ordine Diui Benedicti religioſiſſimus, qui ex
Abbatia

Abbatia Sauvigniacensi ad instituendam regularis disciplinae normam Tallorias olim missus, insigni pietatis extitit & sanctitatis exemplar; Hierosolymam profectus multas retulit sanctorum reliquias, quas Monasterio suo dedit, ac tandem grauis annis solitariae vitae permissus sanctè obdormiuit in Domino, & in sua eremo sepultus est. His optimè peractis Salesius lacu traiecto Ioannam Mentoniam Chiuronis Baronem Dereæ tunc commorantem inuifit, senectutis tædia quibus illa maximè angebatur, colloquiis aliqua ratione leuaturus; cùmque sermones ambo miscerent, deque mundi vanitate loquerentur, ait Præsul. Senescimus Domina mea, & ideò cogitandum est seriò de futura vita. Cui illa. Ita est planè, Reuerendissime Domine (inquit) quod ad me spectat. Senesco, & ideò sola mihi superest mortis cogitatio: tu verò optimè vales, & robustæ adhuc es ætatis, longiores tibi seruat annos Deus, cum Ecclesiæ suæ sis adhuc necessarius. At ego in nullam vtilitatem locum occupo, & iam septuagesimum secundum annum ago. Et ille, nihil refert, ait, Ego prior ibo, tu me sequeris, quæ verba dicta propheticè, veritatem sunt consequuta. Deinceps bonus Antistes cœpit grauitè tibiæ dolore conflictari, neque propterea abstinuit à Tononiensi profectioe, ob res maximas vocatus, redeundo tamen cùm ad salutandum Patruelem charissimum Gasparem Salesium Fugianum Brento transiret, vix poterat se sustinere: vnde res erat aspectu miserrima, cùm nihilominus in tanta morbi violentia serena semper frontè esset, nec vel minimum conquereretur. Laceras etiam omnino sub talari toga vestes induebat, nec tamen hyeme currentis iam anni vigesimi secundi nouas sibi confici voluit, suam proculdubio mortem prælagiens: sed sic frigus pertulit ob adamatam pro Christo paupertatem, quam tamen in aliis per hæc tempora ærumnosissima quippe, cùm magna penuria esset, & Sabaudia vndique referta militibus, plures populo frumenti modios distribuens subleuabat. Stupenda res per hos dies euenit. Militem quemdam recipiendæ pecuniæ causa ad Petrum Rollandum Ciuem miserat Consul Claretus, & miles cùm eum non inuenisset, in domum Episcopi ad Georgium Rollandum illius fratrem accessit, postulauitque sibi dari pecuniam. Rollandus nihil ad se spectare (inquièbat) nec ad perfolutionem vllò modo teneri, scripturum

*Franciscum
prædicat.*

*Mortem
suam præ-
sagit.*

*Miles in
Franciscum
insolens à
Deo castigatur.*

tamen ad fratrem vt videret quid facto opus : inter hæc verba miles in vehementissimam iram versus altis clamoribus totum cauedium implebat, quæ causa fuit vt à peioribus sanctus Antistes timens è cubiculo suo descenderit rationem irato explicaturus, verùm non destitit ille inolescere, nec Præsuli mansuetissimo vnquam cessit, quare aërem se verberare videns Salesius, & fatius esse ei cedere : sic furibundum reliquit, qui statim & ante, quam palatij limen excederet generali lepra est percussus iusto Dei iudicio, sed aliquando altero miraculo sanandus.

